
J. Olearius
(J. Colding.)
de justificatione hominis peccat.
coram Deo
Rom III. 24-26.
Lips. 1686.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

1,-273.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01441 3

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

in qva

DOCTRINA ORTHODOXA

DE

JUSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO.

Ex

Dicto Claſſico Rom. III. verſ. 24. 25. 26.
aſſeritur.

Qvam

SUB PRÆSIDIO

Viri Maxime Reverendi, Ampliſſimi, & Excellentiſſimi,

DN. JOHANNIS OLEARII,

S.S. Theol. Doct. ejusdemqve P. P. Capituli Cizer-
ſis Canonici, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii
Majoris Principum Collegiati, & Nation.
Saxon. Senioris,

Dn. Patroni, Præceptoris, & Hoſpitis ſui ſumma
cum obſervantia devenerandi,

In Auditorio Paulino

D. XXIII. Febr. ANNO M DC LXXXVI.

publico Eruditorum examini ſubmittit

FRIDERICUS KOLDING,
Hafn. Danus.

LIPSIÆ, Literis CHRISTIANI SCHOLVINI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

VIRO

SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

DN. JOHANNI LETH,

S. S. Theol. Doct. Sacræ Regiæ Majeſt. Dan. & Norveg. a Confeſſionibus & Concionibus Aulicis, nec non Conſiliario Conſiſtor. graviſſimo.

Patri ſuo omni pietatis cultu æternum colendo debitam obſervantiam præſtiturus Exercitium hocce Academicum cum omnigenæ felicitatis & incolumitatis voto

d. d.

filius obſeqventiſſimus

FRIDERICUS KOLDING.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

PROOEMIUM.

QVanta articuli de juſtificatione hominis ſit dignitas, & qvanta cum neceſſitate conjuncta utilitas, inde ſole clarius pateſcit, qvod orthodoxa ejus tractatio Chriſti honorem aſſerit, firmiſſimamqve conſcientiis terrefactis conſolationem, fideiqve πληροφορίαν oſtendit, ut non immerito, judice B. Affelmanno *Syntagm. part.1. pag.529.* ἀκρόπολις, στῦλος, καὶ ἑδραίωμα totius religionis Chriſtianæ audiat. Sicut enim de remiſſione peccatorum veriſſimè dixit Auguſtinus in Enchirid. ad Laur. C. 64. *per hanc ſtat Eccleſia qvæ in terris eſt, per hanc non perit qvod perierat, & inventum eſt*; ita idem judicium ut de juſtificatione, qvæ in remiſſione peccatorum conſiſtit Rom. IV. 7. pronunciemus, nihil impedit. Hinc graviter de hoc Articulo diſſerit B. Lutherus *in explicat. Pſ. CXVII. Tom.5. Jen. Ger. f.159. Modo unicum hoc doctrinæ Chriſtianæ caput conſervetur ſanum & integrum, Eccleſia manet concors & pura absqve ſectis*: Et in Com. Epiſt. ad Gal. f.10. aſſerit: *Jacente Articulo juſtificationis, jacent omnia, itaqve ſummè neceſſarium eſt, ut eum perpetuo inculcemus & acuamus, qvemadmodum Moſes de ſua Lege dicit. Nam ſatis vel nimium non poteſt inculcari & urgeri.* Nec poſſum non hac de re verba cordati veritatis Evangelicæ Aſſertoris B. Chemnitii recenſere, qvi part.2. *Loc. Th. Loco de Juſt.* ita inqvit: *Hic locus eſt tanqvam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ & religionis Chriſtianæ, qvo obſcurato vel adulterato, impoſſibile eſt puritatem doctrinæ in aliis locis retinere; ſalvo autem hoc loco, corruunt per ſe omnes ſuperſtitiones & qvicqvid eſt corruptelarum in omnibus fere aliis locis.* Qvare potiſſimæ cum Pontificiis Controverſiæ hujus articuli fundamentum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

concernunt, ut, teſte B. Hülſemanno *in notis ad Breviarium Cap. XI. Op. poſth. fol. 1187. indigna Orthodoxo Theologo vox ſit à Georgio Calixto emiſſa num. 94. Reſp. prior. ad Mogunt. qvod ad vitam æternam conſeqvendam ſufficiat, ſi fide in Jeſu Chriſto homines juſtificari & ſalvari pariter omnes dicant verbis in Symbolo Apoſt. propoſitis. Scire enim qvæ ſit cauſa juſtificationis meritoria, efficiens, principalis, formalis, & finalis non reqviri ad ſalutem.* Idem in ἐπικρίσει *ad Colloq. Thorun. §. 40.* dicit: *Controverſias de remiſſione peccatorum, juſtificatione, & æterna vita obtinenda, ſine magna difficultate componi poſſe.* Imo easdem *tricas ſcholaſticas:* & *in notis ad Concil. Trid. Seſſ. 6. haud maximi momenti res* appellare conſvevit. Cum igitur Theologiæ ſpecimen edere mihi propoſuerim, operæ pretium me facturum mihi perſvaſi, ſi orthodoxiam hujus articuli defendere allaborarem. Qvia verò claſſica hujus articuli ſedes in Apoſtoli Pauli Epiſtola ad Romanos maximè figenda eſt, hinc ea modo verba uberiori ſubjicere examini conſtitui, qvæ omnes fermè juſtificationis cauſas accurate explicant, & in verſ. 24. 25. & 26. Cap. III. inveniuntur. Omnem verò rem tribus comprehendere ſectionibus libet, qvarum Prima ſit *EXEGETICA*, Altera *DIDACTICA*, Ultima *verò PORISMATICA*.

Verba in *FONTE* ita fluunt:

Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.

Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξειν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων,

Ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εις τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον. καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.

VERSIONES

Potiores, utpote *Syriacam*, *Vulgatam*, *Arabicam*, *Æthi-*

Æthiopicam, Lutheri Germanicam, *Latinam Bezæ*, *Eraſmi* & aliorum, in ipſa Exegeſi ſingulorum verborum, ubi opus fuerit, adjiciemus, earumq; diſcrepantiam à Textu Græco originali diligenter annotabimus.

SECTIO I.
EXEGETICA.

§. I.

PRimum, qvod ſeſe offert, vocabulum δικαιούμενοι, cum participii formam ſubeat, qvo referri debeat, ambigunt Explicatores. Qvidam ſine relatione ad verba præcedentia, ſubintellecta adverſativa particula δὲ, per modum præſentis explicant, cum Hebræi deſtituti verbo præſentis temporis, ejus loco præſens participii adhibeant, ita qvidem ut nec verbum ſubſtantivum in præſenti addi participio poſſit, veluti Eraſmus explicat, nec abludit Grotius reddens: *Ad* Juſtitiam *verò* perducuntur. Et Lutherus noſter, und werden ohne Verdienſt gerecht. Qvæ obſervatio Syris qvoqve freqventiſſima eſt, ut præſens participii nude ſine verbo ſubſtantivo poſitum præſentis tertiam perſonam denotet, vid. Dn. Opitius *Syrias. Reg. XXII. M. III. pag. 86.* qvam ob cauſam Syrus hic transtulit; *Juſtificantur autem per gratiam.* Qvam Enallagen in novo qvoqve Teſt. obviam v. 9. Rom. V. 11. Actor. XXVI. 20. 2. Cor. V. 5. obſervavit B. Glaſſius *Gram. S. Lib. III. Tr. IV. Can. IV. pag. 415.* Abſentia verò adverſativæ particulæ *autem*, & verborum a præcedentibus dependentia contrarium ſvadent. Alii hoc participium pro ſubjunctivo accipi aſſeverant: *Ut Juſtificentur*, cui adſtipulatur Cornelius a Lapid. in h. l. qvi ita reddidit: *Ut Juſtificentur, fiantqve Juſti, & ſint Juſtificati.* Simpliciſſimè autem conſtruitur cum præcedenti verbo ὑστεροῦνται. Dixerat enim Apoſtolus v. 23. Πάντες γὰρ ἥμαρτον, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. Jam ſubjungit v. 25. Δικαιούμενοι δωρεὰν, *juſtificati gratis*, vel *ut*

qvi Juſtificantur gratis. Ita *Vulgatus*, *Beza*, *Arabs*, *Piſcator*, *Gerhardus Com. in hunc locum* & alii. Æthiops hic a reliqvis omnibus diſcedens, participium δικαιούμενοι mutat in nomen, & adſcitis duabus particulis in textu non extantibus, verſum 24. cum præced. 23. ita connectit: *Et Juſtitia qvidem gratis facta eſt per gratiam ejus.*

§. 2. Juſtificandi vocabulum, qvod Græci per δικαιοῦν & Ebræi per הִצְדִּיק exprimunt, multis ſubjicitur ſignificatis. Modo enim genericam liberandi rationem importat, veluti *Rom. VI. 7. Qvi mortuus eſt, Juſtificatus eſt a peccato:* modò Hypocritis & Sanctimonia turgidis attribuitur, qvi Juſtitiam ſibi arrogant, ſeu famam Juſtitiæ captant, id qvod Chriſtus Phariſæis exprobrat dicens: *Vos ii eſtis, qvi Juſtificatis vos ipſos, in hominum conſpectu, Deus autem novit corda veſtra Luc. XVI. 15.* Non raro, alios ad juſtitiam juſtitiæqve incrementa inſtituere ſeu ad juſtitiam docendo promovere, ſignificat, veluti *Dan. XII. 3. Qvi juſtificarunt multos, qvaſi ſtellæ fulgebunt.* Sæpe juſtificare, pro juſtitiam alicujus agnoſcere, agnitamqve prædicare & celebrare, uſurpatur, uti *Pſ. LI. 6. Ut juſtificeris in Sermonibus tuis, & Luc. VI. 29. Populus & publicani juſtificarunt Deum.* Sæpius pro adminiſtratione juſtitiæ inter partes litigantes ponitur, *2. Sam. XV. 4. Utinam me qvis judicem conſtitueret in hac terra, ut ad me veniret, cuicunqve lis eſt & cauſa, & ego juſtificarem eum.* Sæpiſſime actum forenſem illum deſignat, qvo qvis juſtus æſtimatur & pronunciatur a judice judicialiter. Qvo ſenſu ei opponitur verbum *condemnare*, qvod extra controverſiam forenſem notionem obtinet. v. g *Prov. XVII. 15. Juſtificans impium, & condemnans juſtum, uterqve abominatio eſt coram Domino.* Et hic ſignificatus forenſis ad Theologicum qvoqve applicatur forum, ut in ſacris literis, qvando de hominis peccatoris juſtitia, qva coram tribunali Dei conſiſtere poteſt, agitur, juſtificandi verbum, *a peccatis abſolvere, juſtum pronunciare, imo laudes juſtitiæ alteri tribuere*, ſignificet. Inſignis locus eſt *Rom. VIII. 33. Qvis accuſabit electos Dei? Deus eſt, qvi juſtificat. Qvis eſt qvi condemnet? Chriſtus &c.*

§. 3. Pontificii qvidem juſtificationem per infuſionem juſtitiæ actualis explicant, veluti C*oſterus in Enchirid. pag. 257. Juſtificare*,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ſtificare, inqvit, *eſt juſtum facere ſeu juſtitiam dare, ſicuti calefacere eſt calidum facere, ſeu calorem dare.* Ubicunqve verò de modo ſignificandi *formali* & *adæqvato* in ſacris agitur,& correlatio inter duo ſubjecta Deum & hominem inſtituitur, ibi ipſo vocum ſono relatio actionis & paſſionis inter Deum & hominem innuitur, & verbum hoc ſemper judicialem, eamqve imputativam juſtitiæ alienæ, & abſolutoriam a reatu ſignificationem in ſe continet: Hanc ſeqvitur deinde ſenſus commendatorius ſive pronunciativus, qvi qvidem & ipſe judicialis eſt, qvando judex pronunciat, hunc eſſe juſtum; ſubjectum verò recipiens hanc commendationem judicialem, non adhuc eſt juſtificandum, ſed jam juſtificatum coram Deo; ſaltem nondum innotuiſſe dicimus talem juſtitiam coram hominibus: qvæ ſola inter Paulum & Jacobum differentia eſt, ceu argute obſervat B. Hulſemannus *in Vind. Art. XXXII. Opp. poſth. pag.* 104. Univerſalis verò inductio ſignificati forenſis ad oculum monſtrari poteſt ex collatione concordantiarum Ebraicarum & Græcarum, qvam præſtiterunt B. Chemnitius *part. I. Ex. Con. Trid. ad Seſſ. ſextam pag.* 147. 148. *Part. II. LL. Art. ult. Cap. III. pag* 273. D. Ægidius Hunnius *pecul. Tr. de Juſt. T. I. op. Art. 8. qvæſt. 1. 2.* Hutterus, Gerhardus, Brochmannus *in Locis.* Meisnerus *Diſp. 24. Antrop. qv. 3. &* plurimi alii.

§. 4. Qvod autem in præſenti loco noſtro, ubi de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, tanqvam in ſede propria ex profeſſo agitur, non alius ſignificatus qvam ille forenſis obtinere poſſit, hoc argumento evincimus: Qvæcunqve juſtificatio a gratia Dei ob Chriſti meritum & redemtionem perficitur, & per fidem ceu inſtrumentum recepta per ἱλαςήριον adumbratur, illa nullo modo per infuſionem habitualis vel actualis juſtitiæ explicari poterit. Meritum enim Chriſti cum nobis non ſubjectivè inhæreat, ſed per fidem tantum applicetur & imputetur, non infundendam involvet juſtitiam; nec propitiatorium Vet. Teſt. (de qvo inferius) per qvalitatem a ſe diffuſam expiavit adſtantes. Jam verò ſubſumptionem ex præſenti textu vel puer formare poterit, cum in terminis ibidem noſtra appareat propoſitio. Præterea forenſis judicii reqviſita omnia ſeſe hic offerunt, dum adeſt Judex *Joh. V,* 27. Tribunal *Rom. XIV,* 10. Actor *Joh. V.* 45. Te-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

45. Teſtes *Rom.II, 15.* Advocatus *1. Joh.II, 1.* Sponſor *Ebr.VII,22.* & ipſe actus judicialis *abſolutionis Rom.IV, 7.* vid. B.Scherzerum *Syſt. Loc. XVI. §. 1. pag.417.* Cujus veritatis lumen Pontificiorum oculos ita ſtringit, ut inviti eandem fateri cogantur, veluti teſtimoniis id comprobat B. Gerhardus *Tom III, Loc. Th. de juſt. pag. 672. & Conf. Cath. Libr. II. Part. III. Art. XXIII. Cap. IV. pag. 607.*

§. 5. Qvanqvam verò plurima coacervent teſtimonia, qvibus ſuum ſignificatum Phyſicum probare ſatagant, aerem tamen omnia feriunt, cum aut forenſem noſtrum ſenſum recipiant, aut de Juſtificatione hominis non agant: Tria teſtimonia adducit Bellarminus *Libr.II. de Juſt.C. III.* qvibus juſtificari per Chriſtum idem eſſe ac juſtum fieri per adeptionem juſtitiæ inhærentis, probari poſſe firmiſſimè ſibi perſvadet, qvæ tamen reſolvit B. Gerhardus *h. l. pag.675.* Hugo Grotius hac in parte Papizans non pauca etiam colligit loca, qvæ cum reſponſione legas in B.Hülſemanno *Præl. Form. Conc. Art. XI. Op. poſth. p.534.* Hornejus qvidem in *Diſſert.9. de Juſtif. Sect. I. Th. I.* duos textus, *1. Cor. VI, 11. & Tit. III, 5.6.7.* pro ſignificatu Ethico allegat, vid. B. Strauchium *Vind. conſenſus repetiti punct. 43. p. 263.* Kromajerum *Loc. Anti Syn. Loc. IV. Th.II. pag.169.* qvem tamen problematice & δοξαστικῶς loqvutum, alibiqve orthodoxe ſeſe explicantem excuſat Hulſemannus *præl. cit. p.537. & p.1184.* Urgent fere omnes ſignificatum vocis δικαιοῦν ſeu juſtificandi, qvæ ſemper per poſitionem qvalitatis inhærentis explicari debeat, uti calefacere, albifacere, ſanctificare &c. cum maximè etiam Ebræa vox הִצְדִּיק in Hiphil infuſionem juſtitiæ foveat. Sed (1.) Conjugatio Hiphil præter ſignificationem directæ efficientiæ etiam permiſſionem, declarationem, & juſſionem ſignificat, qvod exemplis declaravit B. Glaſſius *Gram. S. Libr. III. Tract. III. Can. 28. p. 609.* (2.) Ipſum verbum ſimplex *facere* pro ratione contextus idem ſæpe notat qvod cenſere, æſtimare, reputare, uti *Rom.II, 25. circumciſio facta eſt in præputium,* qvod Apoſtolus mox explicat verbo imputari *v.26 præputium in circumciſionem reputabitur.* Sic nihil clarius verbis Apoſtoli *2. Cor V, 21. eum pro nobis fecit,* i.e. *reputavit peccatum, ut nos fieremus* (reputaremur) *juſtitia Dei in illo.* Qvamobrem recte Au-

 guſtinus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

guſtinus *Libr. de Script. & litera Cap. XXVI. Certè ita dictum eſt* juſtificabuntur, *ac ſi diceretur*, juſti habebuntur, conf. B. Höpffnerum *Diſp. de Juſt. l. p. 54.* (3.) ne verbum qvidem ſanctificandi ſemper ex non ſancto facere ſanctum, per infuſionem ſanctitatis habitus denotat; ſic monemur *ſanctificare Jehovam exercituum Eſa. VIII, 13.* petimus *nomen Dei ſanctificari, Matth. VI, 10.* cum tamen nemo hominum Deum ejusqve nomen ſanctum facere poſſit. Imo ſanctificatio de hominibus uſurpata, qvandoqve pro imputatione ſanctitatis Chriſti per fidem adhibetur, qvod exemplis probat B. Ægidius Hunnius *in qvæſtionibus & Reſp. de Juſtific. pag. 5.* Gerhardus *h. l. p. 679.* Qvo etiam illud pertinet qvod ſacerdos dicatur ſanctificare leproſum i. e. ſanctum pronunciare. (4.) Manet tamen differentia inter juſtificationem & ſanctificationem, qvod ibi homo Dei tribunali ſiſtatur prius Deo reconciliandus, hic vero homo jam reconciliatus donetur Spiritu Sancto, qvi in ipſo inchoat & perficit ſanctificationem. (5.) Qvidam Theologorum inter *juſtificationem* & *juſtifactionem* diſtinguunt, aſſerentes poſterius tantum cum calefactione habere convenientiam, non item prius.

§. 6. Seqvitur nunc particula *GRATIS*, qvam uti Latini à gratia ita Ebræi חִנָּם à חָנַן ex ejusdem ſignificationis radice deducunt. Græci vero, qvia ἀπὸ τῆ χάρις adverbium derivare neqveunt, aliam ſumere particulam neceſſum habuerunt δωρεάν. Cujus particulæ uſus tum ex profanis tum Biblicis ſcriptis pateſcit clarius. Græcis Autoribus vocula hæc ſæpiſſime ſolutioni pretii opponitur, ſicuti Plutarchus in Philopœmen. *fol. 124.* ita uſurpat, inqviens; *decretum erat ipſi* δωρεὰν (gratis) *dare 120. talenta.* i. e. *donare ſine exactione pretii.* Sic in Phocione: *Cum deficiente veneno miniſter publicus nollet aliud præparare, niſi data certa pecunia, Phocion dixit: Ergo Athenis non licet* δωρεὰν (ſine ſolutione certi pretii) *mori.* Sic Ariſtoteles *Tom. II. op. Libr. II. Oecon. f. 286.* habet: τρίμηνον σιτηρχίαν δωρεὰν ἀυτοῖς διδόναι h. e. *trimeſtre ſtipendium gratis* (ſine pecunia) *ipſis dare.* Pari ratione Demoſthenes loqvitur. Ἔδωκα δωρεὰν τὰ λύτρα, *dedi gratis lytra.* In latina literatura idem denotat particula *gratis* ac *ſine pecunia & ſolutione pretii*, vel etiam ſine *ſpe præmii* vel *ullo reſpectu utilitatis.*

Uu

Uti Cicero loqvitur *ſervire gratis, habitare gratis in aliqva domo:* qvomodo etiam particula *gratuito* in eodem ſenſu apud eosdem freqvens eſt, qvorum loca allegat D. Chemnitius *Loc. de Juſt. p.292.*

§. 7. Qvanqvam verò uſus hujus particulæ profanus, aliqvo modo poſſit applicari ad hunc præſentem Pauli locum, firmiſſima tamen ejus explicatio inde hauriri neqvit. Hinc non pauci verba Davidis *Pſal. LXIX, 5. gratis me oderunt* ex iſtô ſignificatu explicant, uti facit Auguſtinus, *gratis odit*, inqviens, *qvi nullum ex odio commodum qværit vel incommodum fugit*; propriam verò textui noſtro explicationem non eſſe, ex ſeqventibus clarum fiet. Redeundum igitur vel maxime erit ad uſum tum vocis חִנָּם tum *δωρεὰν* biblicum, ex qvibus de præſenti noſtro textu judicium ferri poterit. Utraqve vero vox in ſacris adhibita aut excludit (1.) Speratum & intentum effectum, idemq; denotat qvod fruſtra, inaniter vel incaſſum, uti *Gal. II, 21. ſi per legem juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt*, i. e. nihil profecit aut nobis acqviſivit moriendo: ubi Lutherus per vergeblich reddidit. *Prov. I, 17. fruſtra panditur rete.* Aut (2.) cauſam acqvirentem, & ſic opponitur *tum* ſolutioni pretii, idemqve ſignificat qvod gratuito, ſeu ſine interventu pecuniæ; pretium enim eſt, cujus interventu jus aut res aliqva acqviritur, utpote qvod ſui valore ac æſtimatione alterum moveat, rem aut jus alteri ut concedat, v.g. *Gen. XXIX, 15. num qvid ſervies mihi gratis, dic mihi qvid mercedis accipies.* Sic *Exod. XXI, 2. Egrediatur gratis absqve pecunia*, i. e. inveniat gratiam, ut ſine pecunia liber dimittatur, ubi poſteriora verba: *absqve pecunia* ſunt exegetica vocabuli *gratis*. Idem ſignificatus in novo qvoqve Teſtamento obtinet, veluti *Matth. X, 8 Gratis accepiſtis, & 2. Cor. XI, 7. Gratis evangelizavi: tum* meritô ſive ad bonum ſive ad malum. Qvo in ſignificatu reperire licet *1. Sam. XIX, 5. Qvare peccabis in ſangvine innoxio interficiens Davidem gratis* (temere ſine ipſius merito) conf. *Cap. XXV, 31. 2. Sam. II, 2.* Sic *Thren. III, 52. Ceperunt me ut avem gratis* i.e. qvibus non dedi cauſam. Ex Novo T. adduco *2. Theſſ V, 8. non gratis accepi panem ſed in labore.* Lutherus ohn und wieder Verdienſt. Sic omnia Spiritualia Dei Chriſtiqve

beneficia

beneficia nobis conferuntur gratis, nullo noſtro merito ſed ex mera gratia & liberalitate Dei nobis donantur, in qvo ſenſu beata Virgo Maria *Luc. I, 28.* vocatur gratis dilecta κεχαριτωμένη, qvæ vox duo comprehendit, tum beneficium qvod ipſa aſſecuta eſt, tum originem ſeu cauſam tanti beneficii, gratuitam ſcilicet Dei benevolentiam, ſicuti contra Papiſtas hoc vocabulum vindicat Ravanellus *Biblioth. Sacr.* voce *Gratis.* Vel (3.) excludit omnem cauſam & dignitatem in eo, cui aliqvid exhibetur idqve vel in malam partem, ubi qvis ſine juſta cauſa & temere ex levitate & petulantia alterum laceſſit, veluti *Pſ. CXIX, 161. perſecuti me ſunt gratis Prov. XXIV, 28. ne gratis ſis teſtis contra proximum* conf. *Cap. XXVI, 2.* vel in bonam, ubi ſaltem dignitas omnisqve cauſa a ſubjecto removetur, cui aliqvid donatur. Vox enim Græca δωρεὰν qvia a δωρεᾶ originem ſuam trahit, qvæ denotat *donum* ſeu *dationem talem, qvæ juris cauſam antecedentem* non habet, ad alia qvoqve transferri cœpit, in qvibus antecedens cauſa non reperitur. Poteſt enim Gratia adhuc competere in illum qvi cauſam aliqvam Gratiæ in ſe fovet, uti Joſeph dicitur inveniſſe Gratiam coram Potiphare, qvia erat vir pulcher formâ *Gen. XXXIX, 6.* nempe propter varias ejus virtutes, variaqve tum corporis tum animi dona; Particula verò *Gratis* voci Gratiæ addita, omnem meriti, dignitatis, aut cujuscunqve cauſæ reſpectum excludit: imo particula *Gratis* non tantum meritum ejus, qvod contingit, excludit, ſed ſæpius etiam meritum contrarium ponit, uti *Syrac. XXIX, 8. poſſidebit inimicum gratis* q. d. ſi qvis pecuniam alteri mutuo dederit, qvi non libenter ſolvit, eum experietur inimicum gratis, i.e. ſine ſuo merito, cum contrarium potius fuiſſet promeritus. Uberius hæc vocum ſignificata evoluta leges apud Chemnitium, *h. l. pag. 292.* Meisneram *Phil. Sob. part. II. Sect. I. Cap. I. pag. 381,* ſeqq. & in *Anthropol. Decad. III. Diſp. III. qv. V. p. 191.* Höpffnerum *diſp. I. de Juſtif. p. 45.* Gerhardum & Wellerum *in Comment. ad hunc locum.*

§. 8. Secundum & tertium ſignificatum huc qvadrare qvivis de facili videre poterit. Particula enim δωρεὰν non tam eſt θετικὴ qvàm στερητικὴ removens id qvod falſum eſt, non verò cauſam efficientem proprie & directe ponens. Ut enim Spiri-

tus Sanctus oſtendat nullam in nobis eſſe cauſam qvæ noſtra coram Deo ſit juſtitia, ideo vocabulum *Gratis* addidit, ſicuti in aliis locis æqvipollentem determinationem adjicere ſolitus eſt *verſ. 9. Epheſ. II, 8. 9. Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis* (non ex aliqva vobis inhærente qvalitate & actione) *Dei donum eſt, non ex operibus, ne qvis glorietur.* Res optime ex loco *1. Sam. XIX, 5.* & *Job XV, 25.* explicari poterit. Sicuti enim hiſce locis duo denotantur (1.) Abſentia meriti qvod nulla in Chriſto & Davide cauſa vel leviſſima fuerit ob qvam odio digni cenſerentur. (2.) Præſentia contrarii, ineſſe potius prægnantiſſimas rationes ob qvas ſummo amore & favore ſint proſeqvendi: Ita in præſenti loco particula gratis oſtendit (1.) Abſentiam meriti, (2.) Præſentiam contrarii, qvod ſcilicet nullum meritum Juſtificationis, vel ne minutiſſima qvidem ratiuncula unqvam fuerit, qvæ Deum moverit ad juſtitiam nobis impertiendam; ſed potius qvia natura noſtra peccatis contaminata eſt, nos digni ſimus ira & morte æterna & mereamur damnationem: ex mera igitur Dei miſericordia propter Filium Mediatorem in gratiam recipimur. Sunt qvi particulam hanc ita explicant ex *mero dono* & *liberalitate Dei juſtificamur:* uti faciunt Beza, Toletus, Pareus & alii. Sed qvanqvam hæc non male dicantur, non tamen ſatis explicatur ſic emphaſis Phraſeos. Hugo Grotius interpretatur particulam hanc, qvaſi ſine labore, qvi ad minores virtutes Philoſophicas reqviri ſoleat, cum fides laboris compendium faciat. Cum enim חִנָּם opponatur impenſæ, & labor etiam impendi dicatur & emi aliqvid labore, rectè ſic omnem laborem excludi ait. Sed nulla hic fidei cum Philoſophicis virtutibus comparatio inſtituitur, qvia de Juſtificatione peccatoris coram Deo agit Apoſtolus, non qvomodo ad pietatem & virtutem perducatur Chriſtianos decentem, & qvanqvam reſpectus labores excludendi habeatur, ut ſic opponatur ſacrificiis Judæorum qvæ magna conſtabant pecunia; longe tamen plura involvit particulæ præſentis ſignificatio, ut omnem reſpectum ullius cauſæ, ſive laboris ſive alterius dignitatis nomen ſortiatur, excludat: Veluti etiam recte hac in parte caſtigat Grotium Dn. Calovius in *Bibl. illuſt. in h. l.* Papiſtæ particulam *Gratis* non omnibus meritis ſed tantum meritis de condigno opponunr

ponunr

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ponunt uti Bellarminus *Libr.I. de Juſt.* C. *XXI. ex Con. Trid.* Cap. *VIII. Seſſ.*4. ſuam ſententiam explicat qvando ita loqvitur : *Juſtificatio gratuita non excludit opera qvæ dicuntur concurrere ad Juſtificationem ut diſpoſitiones vel ut merita de congruo, modo non tribuatur eis meritum de condigno* de qvo loqvitur *Concilium Trid. l.c.* ubi dicit, *hominem juſtificari Gratis.* vid. Hülſemannum *Man. contra Hag. diſp.III. p. 88. ſeqq.* Sed Cadmeos fratres committamus, ut tranſigant prius cum Salmerone *diſp.XXVII. in h. l.* qvi ita circa hanc voculam commentatur: *aliqvid dicitur fieri gratis, qvando is, in cujus gratiam fit, indignus eſt munere qvod accepit, vel dignum pretium non obtulit: qva ratione juſtificari gratis eſt juſtum fieri a Deo ſine ullo debito ſuo, vel pretio noſtro ſibi exhibito.* Sic Cornelius a Lapide *in Com. in h.l.* tali utitur gloſſa; *gratis idem eſt qvod ſine meritis fidem præcedentibus aut etiam ſeqventibus. Gratis enim dare ſignificat gratuito dare ſine merito : gratia enim & gratuitum opponitur merito.* Patres nobiſcum ſentientes ut adducamus neceſſe non erit, audiamus tamen Ambroſium in *Rom. III.* qvi vocabulum Gratis ita explicat; *qvod Sola fide dono Dei juſtificemur, nihil operantes, neqve vicem reddentes:* qvibus verbis affirmat, qvod nec præcedentibus operibus mereamur, nec ſeqventibus compenſemus. Auguſtinus *Serm. XV. in Pſ. LVI.* ſuper hæc verba, *pro nihilo ſalvos facies illos*, ita ſcribit: *nihil in eo invenis unde ſalves, & tamen ſalvas, gratis das, gratis ſalvas: omnia merita præcedis ut dona tua conſeqvantur merita tua : prorſus gratis das, gratis ſalvas, qvia nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes* : alia ejus teſtimonia allegavit B. Wellerus *Comment. in hunc locum.*

§ 9. Succedit vocabulum *GRATIÆ* de cujus uſu profano & biblico ſi aliqvid præfati fuerimus non inutilis impenditur labor cum de noſtro textu eo promptius poſt judicium afferri poſſit. Jeſuitæ gratiam a gratis dando dictam putant veluti Bellarminus *Libr. I. de Gratia* C. *I. Gratia*, inqvit, *inde nomen accepit, qvod gratis detur:* id qvod probat ex Auguſtino, illucqve referunt Dictum *Rom IV, 4.* Ex qvo illud oritur qvod gratiam pro dono gratis a Deo dato venditent. Sic enim Becanus *diſp. de aux. Gratiæ part.II. Cap.I. Th.I.* rem explicat, *gratia*, inqviens,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

eſt gratuitum & Supernaturale Dei donum qvod per Chriſti meritum nobis confertur ad vitam æternam conſeqvendam. Qvia igitur hæc nominis derivatio nimis ſtricta videtur, potius a grato, qvod rem acceptam & exoptatam denotat, derivare licebit. De uſu Græcorum qvoad præſentem vocem id obſervat Chemnitius *l. de Juſtif. pag. 288.* qvod tum de qvalitatibus gratiam conciliantibus, uti in Plutarcho id ſæpius obſervare licet, tum de gratuito favore uſurpetur ab Autoribus, & ſicut per illam ſignificationem doctrina Juſtificationis a Papiſtis depravata fuerit, ita per hanc vel maxime ſtabiliatur. Sic apud Xenophontem χάριν ποιεῖν *gratiam* (amicitiam & benevolentiam) *alicui conciliare* ſignificat. In Latina lingva formulæ uſitatiſſimæ *aucupari gratiam, eſſe in gratia, redire in gratiam, excidere gratia,* haud parum noſtram confirmant ſententiam. Vera verò propriæ & genuinæ ſignificationis fundamenta e ſacro codice peti poſſunt, in qvo tribus maximè gaudet ſignificatis. Principaliſſima ejus ſignificatio illa eſt qva favorem & miſericordiam, vel potius miſericordem & clementem Dei voluntatem, qva erga homines affectus eſt, innuit. Qvem ſignificatum Flacius in clave Scripturæ *activam* vocat, cum per eam Deus qvaſi erga nos agat. Cui reſpondet Hebræa vox חָנַן qvæ licet haud raro *ex gratia aliqvid donare* denotat, uti *Gen. XXXIII, 5. hæc ſunt qvibus donavit me Deus*; Sæpe tamen etiam ſignificat, *gratia affecit, favore dignatus eſt* ex qvo etiam haud dubie Germanicum Gönnen oder Gunſt derivari poteſt. Et LXX uti etiam Latini in plerisqve locis per *miſereri, parcere,* expreſſerunt, einem günſtig und wohlgewogen ſeyn/ut adeo rectiſſime gratia per miſericordiam deſcribi poſſit, cum maxime verbum miſereri ſæpe verbo חָנַן jungatur uti id exemplis probat Chemnitius *l. c. pag. 289.* in qvo ſenſu adhibetur *Exod. XXXIII, 19.* חַנֹּתִי *miſerebor cujus miſerebor* qvod Apoſtolus *Rom. IX, 15.* per *miſereri* exponit ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ. Sic de Noah dicitur qvod gratiam in oculis Domini invenerit *Gen. VI, 8.* Unde etiam vox Ebræa תְּחִנָּה deſcendit, ipſamqve ſupplicationem pro gratia ſignificat, confer *Jerem. XXXVI, 7. XLII, 9. Dan. IX, 18. Pſ. LV, 1.* inprimis vero Zachar. *XII, 10. Spiritus gratiæ & precum* רוּחַ חֵן וְתַחֲנוּנִים eleganti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ganti vocabulorum alluſione, ut Græci etiam reddiderunt Spiritus *χάριτος καὶ οικτιρμῶν*. Reliqva ſignificata uti minus principalia vocari poſſunt, ita ad primariam analogica ratione ſeſe habebunt. Uſurpatur enim (2.) pro donis gratuitis vel ex gratia collatis per Metonymiam cauſæ pro effectu, qvia pro dono ſumitur donationis principium nempe gratia; qvam ſignificationem ad mentem Flacii *paſſivam* denominare poſſemus, utpote qvæ in receptione doni conſiſtens paſſionis naturam ſeqvitur. In qvo ſenſu Iacob liberos ſuos donum Dei dicit: *Gen. XXXIII. 5. iſti pueri ſunt qvos Deus* חָנַן *gratificatus ſeu gratuito* favore largitus *eſt. Sic Act. XI.* 23. de Barnaba dicitur: *qvod cum vidiſſet τὴν χάριτα τοῦ Θεοῦ* h. e. *donum in credentes effuſum*, gaviſus fuerit. Qvo & illud referri poteſt, qvod *Stephanus Act. VI. 8. plenus gratia* vocetur, (3.) pro gratioſitate ſeu illa manſvetudine & Comitate, qva qvis ſe omnibus ut gratum & amabilem commendare poteſt. Sic Maria *Luc. I. 26 gratia plena* holdſelig audit & *Chriſtus gratia & ſapientia coram hominibus profecit Luc. II. 52.* Pluribus exemplis ſi qvis probata velit hæc omnia, adeat *D. Chemnitium L. Th. Part. II. de juſtificat. pag.* 289. *Flacium Part. I. Clav.* ſub voce *gratiæ*. Ravanellum *Bibl. Sacr.* hac voce. Meisnerum *Anthropol. decad. II. pag. 7. ſeqq. Philoſ. Sobr. Part. II. pag. 289.* Hos ſignificatus etiam Scholaſtici admittunt, vid. Thom. *1. 2. qvæſt. 110. Art. I. ſecundum communem*, inqvit, *loqvendi modum, tripliciter gratia accipi conſvevit: uno modo pro dilectione alicujus, ſecundo pro aliqvo dono gratis dato, tertio modo pro recompenſatione beneficii gratis dati: Secundum qvod gratias beneficiorum agere dicimur*, Qvanqvam vero Bellarminus in libris ſuis *de gratia* principalis & primæ ſignificationis mentionem non ſemper faciat, Gregorius tamen Valentia eandem admittit *Tom. I. Diſp. 8. qvæſt. I. punct. I. Gratia*, inqvit, *qvandoq; ſumitur pro divina benevolentia, qva nobis donum gratis communicatur.*

§. 10. In præſenti autem loco noſtro uti in omnibus aliis Pauli Epiſtolis, in qvibus de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo agitur, gratiæ vocabulum nihil aliud qvam gratuitum favorem, clementem & miſericordem Dei voluntatem, qva tum genus humanum tum omnes in ſpecie credentes complectitur,

denotat. Hanc ſignificationem ſeqvuntur qvidem dona ſeu chariſmata infuſa Spiritus renovantis, cū ſemper mutuo fraterno & indiviſibili nexu juſtificatio & ſanctificatio, ſeu gratia juſtifica & ſanctifica, qvæ in donis ex juſtificatione profluentibus conſiſtit, ſe invicem excipiant, qvæ renovationis dona minime rejicimus, qvando gratiam in præſenti loco, qvi de juſtificatione noſtra agit, per ſolam Dei miſericordiam explicamus; Ea vero cum gratia divina unum idemq; eſſe, & mutuo concurrere ad juſtificationem tanqvam concauſam negamus, cum hæc ad illa ſeſe habeat ut cauſa ad effectum, qvæ tempore qvidem conjuncta ſemper, naturâ vero maxime disjuncta ſunt. Cuilibet enim talem tribuimus locum, qvi à ſcripturis ipſis aſſignatur, gratiæ & miſericordiæ qvidem articulum juſtificationis, donis vero novitatis renovationis articulum, ut fides non operibus ſed ſola Dei miſericordia nitatur, & ſic *firma ſiet promiſſio Rom. IV. 16.* Hæc gratia juſtifica *Tit. III. 4.* χρηςότης benignitas & φιλανθρωπία, humanitas Dei ſeu amor erga homines dicitur, item ἀγάπη charitas *Rom. V. 8.* Qvia vero eſt dilectio miſerorum, ideoq; ſpeciali ratione vocatur ὁ ἔλεος *Tit. III. 5. Ebr. IV. 16.* τὸ ἔλεος *Luc. I. 50. 54.* miſericordia: Item σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ *viſcera miſericordiæ Dei Luc. I. 78.* οἰκτιρμοὶ miſerationes *Rom. XII. 1. 2. Cor. 1. 3.* Gratia hæc duplicem hic reſpectum habet, dum & gratioſam & gratuitam reddit juſtificationem; *Gratioſa* qvidem eſt, qvatenus Deus ex miſericordia nos juſtificat, & ſic varios gratia hæc divina actus edit, qvos vide in Hopffneri *diſp. I. cap. II. pag. 34. ſeqq.* *Gratuita* verò eſt juſtificatio, qvia hoc beneficium nobis non tantum indignis & longe aliud meritis, ſed etiam ſine qvocunqve operis noſtri interventu confertur, ita ut illud nec meriti nec diſpoſitionis, nec adminiculi, nec organi juſtitiam noſtram operantis, nec cauſæ formalis rationem ſubire poſſit.

§. 11. Hæc verò gratia jam olim a Pelagianis haud levi ſubjecta fuit corruptelæ. Pelagius enim finxit Paulum hîc per gratiam dona naturæ humanæ in generatione collata intelligere; qvia verò anteqvam eſſemus mereri non poteramus, vel ut eſſemus, vel ut tales eſſemus, hinc dona & beneficia iſta creationis recte vocari gratiam exiſtimavit; ceu ejus ſententiam recitat Auguſtinus *Epiſt. 95. ad Innocentium, item 105. 106.* Verum hæc dona creationis qvia

piis & impiis ſunt communia, & naturâ a nobis poſſidentur, ex
qvo ſeqveretur, Chriſtum fruſtra mortuum eſſe, hinc rectè ab Au-
guſtino explicatio hæc rejecta fuit, qvi *Serm. II. de verbis Apoſtoli*
ita inqvit: *Si gratia eſt qvod conditi ſumus cum nihil merebamur,*
qvanto major eſt gratia, qvod cum tantum malum merebamur ſal-
vati ſumus gratis per ipſius gratiam. Idem Pelagius mox aliam ef-
finxit explicationem, gratiam ſcilicet vocationis ſubſtituens, cujus
patefactionem cum homo non mereatur, ob id vocari gratiam, cui
favere potuit, qvod Paulus *Rom. I. 5.* de miniſterio verbi dicat,
accepimus gratiam & Apoſtolatum. Verum & hac ratione Chri-
ſtus fruſtra mortuus fuiſſet, qvia Deus voluntatem ſuam jam ante
in V. T. ſatis revelaverat. Qvomodo vero Auguſtiuus cum Pe-
lagio diſputans magis ſecundariam qvàm primariam vocabuli
gratiæ ſignificationem urſerit, cum de illa nulla fuerit controver-
ſia, oſtendit B. Chemnitius *Loc. cit. pag. 288.* qvod contra Papiſtas
teſtimonio Auguſtini turgidos & inflatos obſervari meretur. Scho-
laſtici vero & Papiſtæ diſputant gratiam hanc juſtificam eſſe do-
num Dei ſupernaturale ſeu infuſam qvalitatem homini a Deo
collatam, qva mens illuminata & voluntas ſanata poteſt charita-
tem Dei & proximi perfectiſſime præſtare. Qvam gratiam ab offi-
cio gratum facientem appellitant, qvia nos Deo gratos & acceptos
faciat. Vid. Bellarminum *Libr. 1. de grat. cap. 3.* Gregorium de
Valent. *Tom. II. Diſp. 8. qv. 1. punct. 1.* Becanum *diſp. de auxil. gra-*
tiæ. Chriſtophorus Meierus Jeſuita, contra qvem diſputat B. Hopf-
nerus, gratiam hanc liberalitatem vocabit, qva homo manumiſſus
a ſervitute filius Dei fiat: qvia vero gratia hæc nuda clementia
eſt, qvam Seneca *Libr. 2. de Clem. cap. 3.* recte *lenitatem ſuperioris*
adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis definit, hinc eadem a no-
ſtro textu maxime aliena eſt explicatio. Sunt tamen non pauci et-
iam ex Papiſtis qvi veritatem agnoſcere coguntur, ceu facit Pereri-
us *diſp. XIII. in C. 3. Rom n. 53. nomen gratiæ,* inqviens, *cum hic di-*
cit, juſtificati gratis per ipſam gratiam, licet poſſit ſignificare ſuper-
naturalem & divinam qvalitatem infuſam, videtur tamen qvodq; h. l.
ſignificare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem.
Alberti Pigghii & qvorundam Scholaſticorum conſenſum refert B.
Gerhardus *Confeſſ. Cath. libr. II. Part. III. Art. XXII. cap. I. pag.*
422. ubi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

422. ubi pag. 425. qvasdam hypotheſes id inferentes & diſſenſum eorum a ſe invicem efficaciſſimè urget.

§. 12. Seqvuntur verba: Διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριςῷ Ιησȣ̃. Ubi ἀπολυτρώσεως vox, ſicuti varias ſubit ſignificationes, latius a Ravanello *Biblioth. Sacr.* voce: *Liberatio, Redemtio* adductas, ita easdem ſaltem perſeqvemur, qvæ Redemtionem Chriſti erga genus humanum inferunt. Breviter has legere potes apud Hülſemannum *Prælect. ad Breviar. op. poſth. pag.* 1212. Nam (1.) *Redemtionem a jure prætenſo* ſive occupata tyrannide Diaboli in hominem ſignificat, & redemtio univerſalis dicitur, *conf. Ebr. II, 14. 15.* qvod liberatio a ſervitute Diaboli tam late pateat, qvam late patet communio humanæ naturæ. De qva generali intentione redimendi, ac reali perſolutione pro omnibus ἀπολυτρώσεως vox uſurpatur *Ebr. IX. 12. XI. 35. Matth. XXII. 28. Act. XXVI, 18.* (2.) notat *actualem liberationem* à dominio Diaboli & peccatorum regnantium, qvæ fit per regenerationem & renovationem, uti *Luc. I, 74. II. 52. Col. I. 13. 2. Tim. II. ult.* & ponit pro ſubjecto inhæſionis communiter populum Iſrael, vel nos: qvas duas liberationis ſpecies Marloratus & Ravanellus in Lexicis peſſimè confundunt. (3.) Vox ἀπολυτρώσεως vel λυτρώσεως in ſcripturis *ſummam liberationem*, etiam a tentatione Diaboli & peccatorum deſignat. Sic *Tit. II. 13. 14. expectatio magni Salvatoris* ſignificat Salvatorem ultimum in ſtatu gloriæ. Confer *Rom. VIII, 23. Eph. IV. 30.* In loco noſtro prima Redemtionis ſpecies attenditur. Qvando autem expreſſe Chriſtus vocatur redemtio noſtra, tunc omnes tres redemtionis ſpecies conjunguntur, uti fit *1. Cor. I, 30. & alibi.* Eſt verò ἀπολυτρώσεως vox militaris qva noſtra redemtio plenaria ab omnibus hoſtibus nos captivos tenentibus notatur. Eſt enim proprie redemtio Captivi, perſoluto pro capite ipſius λύτρῳ ſive pretio. Sic Lucianus de Achille dicit: χρημάτων ὀλίγων τὸν Ἕκτορα νεκρὸν ἀπελύτρωσε. Et in *Epiſtola Philippi ad Demoſt.* συλλαβὼν καὶ τὰς ἐχάτας ἀναίκας ἀπελύτρωσε ταλάντων ἐννέα. Hinc ἀπολυτρȣ̃ν & δȣ̃ναι λύτρωσιν *Luc. I, 68.* Ebræi exprimunt per גָּאַל qvod pretio redimere & per כִּפֵּר qvod in Piel expiationem redemtoriam λύτρῳ interveniente (*conf. Proverb. XXI. 18. Exod. XXX. 12. Pſ. XLIX. 8. Eſa. XLII. 3.*) factam & ſatis-

ſatisfactoriam notat, *conf. Prov. VI. 35. Num. XXXV, 31. 32.* Hinc etiam ἀγοϱασμὸς & ἐξαγοϱασμὸς *Gal. III. 13. IV. 5. 2. Petri II. 1.* vocatur, qvæ vox emtionem qvoqve pretio factam denotat, cum diſerta pretii mentio addatur: *emti eſtis pretio, 1. Cor. VI. 20. VII. 13.* Pretium iſtud redemtionis noſtræ a nobis jure exigebatur, cum verò ſolvendo non eſſemus, Chriſtus pro nobis ſolvit, qvod ipſe non rapuit *Pſ. LXIX, 5.* & redemit nos interveniente λύτϱῳ obedientiæ ſuæ tum activæ tum paſſivæ, effuſione ſcilicet ſangvinis ſui pretioſiſſimi, qvi efficaciſſimum eſt pretium, qvo ab ira Dei, peccato, Satanæ poteſtate, morte ac inferno ſumus liberati. vid. *1. Tim. II, 6. 1. Petr. I, 18. ſine ſangvinis enim effuſione nulla fiebat remiſſio Hebr. IX, 22.* Nimirum ἀπολύτϱωσις Chriſti non id tantum nobis obtinuit, ut viam nobis daret ad juſtitiam perveniendi, uti Grotii hac in parte Socinizantis Gloſſa habet, ſed etiam pretio ſangvinis pro nobis perſoluto ſatisfecit iræ divinæ, *conf. 2. Cor. V, 21. 1. Cor. I, 30. Jerem. XXIII, 6. Eſai. XLV, 23.* vid. Calovium *Bibl. illuſtr. h. l.* Tria igitur nobis hac voce in memoriam revocantur (1.) miſera noſtra captivitas, qvâ in regno Satanæ captivi eramus (2.) Pretioſum λύτϱον Chriſti, qvo ex captivitate liberati ſumus (3.) Gratitudinis vinculum qvo Chriſto ſumus obſtricti. Et qvidem ſolus Chriſtus hoc pretium ſolverat. Hinc Chryſoſtomus notat dici ἀπολύτϱωσιν non ἡμιλύτϱωσιν cum plena & perfecta ſit redemtio, nec ullius hominis merito *v. g.* Mariæ & aliorum ſanctorum, ſicuti Pontificii volunt, ſit adſcribenda. Et Hieronymus illud etiam obſervat, qvod vocetur redemtio non emtio, qvia antea per naturam ipſius fueramus, licet jam ſimus noſtris ab eo alienati delictis. Refert qvidem Epiphanius *hæreſ.* 42. Marcionem hinc collegiſſe, qvod homo non ſit creatura Dei ſed Diaboli, cum nemo emat qvod ſuum eſt, Deus vero emit & redemit hominem. Sed reſpondit jam Origenes *Homil. VI. in Exod. Omnes*, inqvit, *creatione eramus Dei, ſed pretio peccatorum vendidimus & tradidimus nos Dæmoni: Ideo pretio ſangvinis Chriſti liberati a poteſtate Dæmonis non tam emti qvàm redemti dicimur.* Ex qvibus clariſſime patet, gratiam Dei nos juſtificantis non eſſe abſolutam, ſed in Chriſti merito fundatam; hinc additur: Τῆς ἐν χϱιστῷ Ἰησοῦ, *qvæ eſt in Chriſto Jeſu*, juxta Vulgatum, h. e. contingit in Chriſto

 Jeſu.

Jeſu. Syrus & Arabs vertunt: *qvæ eſt, vel facta eſt per Jeſum Chriſtum.* Nec aliter Lutherus in verſione ſua Germanica, ſo durch JEſum Chriſtum geſchehen iſt. Cum ἐν ut Ebræum ב ſæpiſſime *per* & *propter* ſignificat, & de qvacunqve cauſa adhibeatur *conf. Rom. V, 9. Col. II, 18.* vid. Glaſſii *Gram. S. Libr. III. Tr. VI. pag. 762* Æthiops nomen ἀπολυτρώσεως in verbum commutans, actum redemtionis de Chriſto in caſu recto enunciat h. m. *Juſtitia gratis facta eſt per gratiam ejus, ut ſic redimeret JEſus Chriſtus.* Rectiſſime verò obſervat B. Carpzovius *Iſagog. in A. C pag. 205.* è B. Chemnit. *Tom. II. loc. Th. pag. 314.* qvod Chriſtus qvatuor potiſſimum modis ad juſtificationem noſtram concurrat (1) ut cauſa efficiens principalis, qvatenus ut Rex a peccatis nos abſolvit, & propterea etiam miniſterium reconciliationis inſtituit. *2. Cor. V, 19. 20.* (2.) Ut cauſa meritoria, qvatenus meruit ſatisfactione ſua ut Deus nos juſtificet, *2. Cor. V, 21.* (3.) ut cauſa materialis, qvatenus obedientia ejus illa ipſa eſt juſtitia, qvæ fide a nobis apprehenditur & in juſtitiam nobis imputatur. (4.) ut cauſa impulſiva, qvatenus interceſſione ſua & obedientiæ a credentibus fide apprehenſæ præſentatione Deum movet, ut actu credentes juſtificet. *Ebr. IX, 24.* Hoc in loco verò ſecundus & qvartus maxime attenditur modus.

§. 13. Succedunt verba: ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον Qvæ non ſatis aſſecutus Æthiops, nimis libere ſic tranſtulit: *Qvoniam per eum contulit nobis Deus miſericordiam ſuam.* Vulgatus Eraſmus & Beza προέθετο vertunt *propoſuit.* Sed ita non minus in Latino qvam Græco hæret ambiguitas, in cujus evolutione & applicatione ad Chriſtum varie deſudant Interpretes, uti videre eſt in Synopſi Criticorum Matth. Poli ad hunc locum. Ludovicus de Dieu emphaſin particulæ πρὸ urgeri poſſe dicit, qvod *Deus ante Chriſtum poſuerit* (nempe in V. T. per umbras Legis & Prophetarum vaticinia) *placamentum*, cum πρὸ hoc ſenſu ſumatur non tantum in voce προῃτιασάμεθα, *ante accuſavimus Rom. III, 9.* ſed & in verbo προέδωκε *antededit, Rom. XI. 35.* in τῷ προεγράφη *ante ſcripta ſunt, Rom. XV. 4.* Et huic explicationi favere videtur Syrus qvi vertit: *Qvem præſtituit* vel *qvem jam ante poſuit,* in politia ſc. Vet. Teſtam. Nec non Arabs, qvi habet: *Qvem præ-*

vertit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

vertit Deus & poſuit. Sic enim cauſa redditur cur Chriſtus in V. T. qvoqve fuerit revelatus & propoſitus, ut ſcilicet peccata eorum, qvæ tunc commiſerant, ſimul per eundem Chriſtum remitterentur. Alii, veluti Anſelmus apud Toletum in h. l. publicam ejus exhibitionem ſeu manifeſtationem intelligunt, qvod ſcilicet Deus eum in propatulo publice & in conſpectu totius mundi per prædicationem Evangelii propoſuerit & exhibuerit: qvod amplecti videtur B. Wellerus in Com. in h. l. qvi ita monet: *notat, Chriſtum publicè ſapientisſima Dei ordinatione eſſe propoſitum, ad qvem velut ad commune aſylum ſeu vexillum omnibus ſit promptum ſalutis expediendæ refugium.* Προτίθεσθαι enim apud LXX. Interpretes (ut obſervat Kirchnerus in Concord. Græc.) reſpondet fere ſemper aut Hebræo עָרַךְ qvod eſt omnia ordine ſuo & certa ſerie diſponere ac publice proponere, tum vocibus שׂוּם & שִׁית qvæ de poſitione vel ad ſingularem obſervantiam vel in periculum & mortem dicuntur. Non pauci verò hæc ad πρόθεσιν τῆς εὐδοκίας αὐτοῦ ſeu propoſitum beneplaciti ejus referunt, ἣν προέθετο ἐν ἑαυτῷ qvod *propoſuit in ſeipſo Eph. I, 9.* ut ita Deus Chriſtum ante mundum conditum in æterno ſuo conſilio ac decreto (*1. Petr. I, 20.*) qvod in verbo Evangelii revelavit, præordinaverit, & in N. T. ut vera fide a nobis recipiendum propoſuerit, qvod Toletus ex Origene, Chryſoſtomo & aliis probat, qvam ſententiam etiam amplectitur B. Gerhardus *Com. ad h. l.* Verum has obſervationes omnes ſi conjungamus, abſurdi non erimus, cum idem à ſummo Theologo Abrah. Calovio *in Bibl. Illuſtr. h. l.* factum legamus. Hæc enim πρόθεσις facta eſt non tantum in æterno Dei conſilio, ſed etiam in Prophetarum oraculis, in typis V. T. *Apoc. XIII, 8.* maxime verò in ipſa miſſione & exhibitione Chriſti ad officium mediatorium *1. Tim. IV. 10.* & Evangelii prædicatione, in qvo omnibus ceu verum propitiatorium proponitur, ut in illo per fidem remiſſionem peccatorum & gratiam conſeqvantur.

§. 14. Accuratiorem verò διάσκεψιν vox ἱλαστήριον meretur, cum maxime Sociniani, de qvibus infra, ejus ſenſum & uſum pervertant. Æthiops minus recte per *miſericordiam* tranſtulit. Qvidam *placatorem & propitiatorem* reddunt, ut ita vel *concre-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

tum pro abſtracto ponatur, ceu putat Hieronymus, qvi hæc verba ita προέθετο, *qvem propoſuit Deus propitiatorem, ut propitietur eis qvi credunt ſe ejus ſangvine liberandos, propterea paſſus eſt Chriſtus ut propoſitum Dei ſedaret, qvo tandem punire decreverat peccatores.* Hinc Syrus tali voce uſus, qvæ *tum propitiationem, tum ipſum propitiatorem* denotat: qvamvis Ludovicus de Dieu in eo taxet Tremellium & Boderianum, qvod vocem Syriacam per *propitiatorem*, & non potius per *propitiationem* explicaverint. Vel *ut per Metalepſin* pro *effectu cauſa* intelligatur, uti explicat Pareus. Alii verò *propitiatorium* transferunt, qvod Lutherus & Piſcator per Gnadenſtuhl/ Photiniani autem per Gnadendeckel exprimunt. Hoc nomine LXX. interpretes utuntur pro Ebræo כַּפֹּרֶת qvod *tectorium* vel *operculum arcæ fœderis* erat, & aliàs etiam per ἐπίθεμα verti ſolet. Erat verò tegmen arcæ, ex qvo Deus ſe propitium olim teſtatus eſt populo, & reſponſa dedit, cui inſidens nubes qvædam à Deo immiſſa populo de ſuo adverſus eum favore certum faciebat, cujus conſtructio ornatus & uſus prolixè deſcribitur *Exod. XXV. 17. XXXVII, 6. Levit. XVI, 2. Num. VII, ult.* Calviniani hanc propoſitionem: *Chriſtus eſt propitiatorium* pro propoſitione Metonymica Sacramentali venditant, qvæ ita ſit exponenda; *Propitiatorium ſignificat Chriſtum, vel Chriſtus ſignificatus eſt per propitiatorium*, uti peſſimè depravat textum Pareus *in h. l.* Verum (α) ſic dici deberet: *Propitiatorium eſt Chriſtus*, id eſt *ſignificat Chriſtum*, qvæ tamen propoſitio apud Apoſtolum non reperitur, qvod ipſe Pareus jam prævi-derat, qvi propterea inverſam propoſitionem exhibet: *Chriſtus ſignificatus eſt per propitiatorium.* (β) In textu verba ita fluunt, *qvem Deus propoſuit propitiatorium:* nec loqvitur de corporeo throno gratiæ, qvi dudum deſierat, ſed de ſpirituali, qvalis revera Chriſtus eſt, licet per corporalem præfiguratus & adumbratus, vid. Balduinum *Com. in h. l. qv. V.* Rectius igitur ſtatuimus, nudam eſſe Metaphoram in prædicato, qvod propter typum & ſimilitudinem Chriſto propitiatori tribuitur; qvales Metaphoræ à locis Deo ſacris deſumtæ in ſcripturis freqventiores allegantur à B. Glaſſio *Rhet. Sacr. Tract. I. Cap. XIII. pag. 1348. ſeqq.*

§. 15. In diverſas verò hîc iterum abeunt Commentato-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

res ſententias. Qvidam reſpectum fieri hac denominatione intendunt ad ſacrificia, qvibus peccata Veterum in virtute ſangvinis Chriſti expiabantur; qvem illa adumbrabant, & paſſionem & ſatisfactionem Chriſti ipſis veluti ſenſibus repræſentabant. Qvando enim in V.T. qvis peccaverat, & morti obnoxius erat, pecus qvoddam purum eligebatur, cui imponebatur repræſentativè & λογιστικῶς hominis peccantis delictum & ſic pro homine occiſum Deo immolabatur, cujus ſangvis vice animæ hominis erat, per peccatum morti obnoxiæ. Et ſic victima hæc hominum, peccata expiabat, iramqve Dei placabat. Qvæ omnia præfigurabant paſſionem & mortem Chriſti, qvod ipſe morte & effuſione ſangvinis ſui Deum iratum reconciliaverit nobiſcum, & ablatione ſui ipſius in odorem ſvavitatis facta propitium reddiderit, ſicqve remiſſionem peccatorum impetraverit. Hinc ipſe Chriſtus dicitur *ἱλασμὸς 1. Joh. II, 2.* qvo propitiatio innuitur, ſicuti etiam voce Ebræa כִּפֵּר qvæ illi reſpondet vid. *Exod. XXX, 10. Num. V, 8.* qvam *LXX.* per *ἱλάσκεσθαι* & *ἐξιλάσκεσθαι* exponunt *Levit. XVI, 11.* ſic nomen כֹּפֶר *1. Sam. XII, 3. LXX* per *ἐξίλασμον* explicarunt, cum maximè ipſa radix ad expiationem per Chriſtum veram victimam pro nobis oblatam transferatur, *Dan. IX, 24.* Verius tamen ad ipſum tectorium arcæ fœderis qvod כַּפֹּרֶת ſeu propitiatorium vocabatur, reſpectus habetur, (illud autem hoc nomine veniebat propter Chriſtum, qvem præfigurabat,) ita tamen ut illud ab expiationibus, qvæ per ſacrificia fiebant, & a ſangvine victimarum, qvæ pro expiandis peccatis offerebantur, ſeparare haud liceat, ſiqvidem in propitiatorio Deus haud aliter ſe propitium exhibebat, niſi qvatenus victimarum ſangvis verſus illud ſpargebatur *Levit. XVI, 13. 14 15.* cum ſine ſangvinis effuſione nulla gratia nulla peccatorum remiſſio fiat *Ebr. IX, 12.* qvæ Sacrificia uti fuere typus Chriſti, unici ſacrificii propitiatorii, ita hoc ipſo teſtari voluit Deus ſe tum fore propitium, cum per fidem ſangvinem non bruti ſed veræ & expiatoriæ victimæ Chriſti Deo offerrent, in qvo ſolo remiſſionem peccatorum impetrarent; Jubemur igitur *μετὰ παῤῥησίας* accedere ad thronum gratiæ, ut conſeqvamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum

auxilium *Ebr.IV, 16.* hoc propitiatorium ſive thronum iſtum gratiæ ceu typum præfiguraſſe Chriſtum ejus Antitypum clariſſime ex *Ebr.IV.* ult. patet, ſicut de ipſo exponit Cyrillus de Incarnat. *cap.13.* & Theophylactus ad *Rom. 3. fol. 45. propitiatorii*, inqvit, *& ſangvinis meminit Apoſtolus ut perſvadeat Judæo qvod per Chriſtum remiſſio & juſtificatio fiat. Si enim ſangvine pecudum peccata dilui credidiſti, multò magis id ſangvine Chriſti fiet.* Ac ſi propitiatorio legali tantum roboris fuit, ut peccata extinxerit cum tamen umbra & typus Chriſti extiterit; multo magis veritati ipſi tantum virium eſt relictum. Collationis membra cum plurima offerri poſſent, qvibus propitiatorium cum Chriſto conferre liceret, potiſſima ſaltem attingemus. Conveniunt (1.) *cauſa efficiente* ſeu decreto divino, qvod ſicuti propitiatorium divino mandato fuit conſtitutum, ita Chriſtus æterno Patris conſilio poſitus fuit Mediator noſter *1. Petr.I, 20.* (2.) *Materia*, illud conſtabat ex auro & argento; Sic Chriſti juſtitia ſolum illud aurum purum eſt, qvod in igne juſtitiæ divinæ conſiſtere potuit. Imo humana ejus natura puriſſimæ eſt ſubſtantiæ omnis peccati expers, qvæ, ut Theophylactus loqvitur, *opertorium erat divinitatis contegens ipſam.* (3.) *Formâ*, qvæ ibi erat, qvadrangularis duos cubitos & dimidium longa, cubitum & ſemiſſem lata, ut hominis ſtaturam non excederet, veluti Chriſtus merito ſuo nullius hominis indignitatem excedit, qvippe qvi ſalvator omnium hominum maximè verò fidelium dicitur *1. Tim.IV, 10.* Ornamentum illius duo Cherubim erant *Exod.XXV, 25.* qvi vel duo Teſtamenta reſpiciunt juxta Gregorium, vel Angelos juxta Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum qvi propitiatorium qvaſi alis tegunt & reſpiciunt in Myſterium redemtionis *παρακύψαι* deſiderantes *1 Petr. I, 12.* (4.) *Numero*, qvod ſicuti illud unicum erat ita Chriſtus unicum ſit *ἱλαστήριον* extra qvod nulla eſt gratia *Ebr. IV, 16.* (5.) *Objectô*, illud proponebatur omnibus & Iſraelitæ facie ad id directa qvotidie orabant, ſic Chriſtus omnibus divinitus propoſitus eſt *ἱλαστήριον 1. Joh. II, 2.* (6.) maximè verò *fine* & *uſu*, qvi qvadruplex fuit (α) divinæ voluntatis revelatio, qvia illud ſedes divinorum oraculorum fuit *Exod. XXV, 15.* Sic Chriſtus Dei conſilium de noſtra ſalute nobis revelavit *Joh. I, 18.* In qvo ſolo Sociniani convenien-

nientiam agnoſcunt, qvô & Grotiana redire videtur τȣ̃ ἀπολυτρώσεως explicatio (β) Propitiatio dicebatur illud כַּפֹּרֶת ab expiando qvia ſymbolum gratioſæ præſentiæ Dei erat, qvi in promiſſo Meſſia populo ſuo placabatur. Sic Chriſtus tanqvam ἱλασμὸς pro peccatis noſtris *1. Joh. II, 2.* nos cum Patre ſuo cœleſti reconciliavit (γ) Arcæ, in qva tabulæ legis, obtectio. Sic qvoqve Chriſtus peccata noſtra obtegens, ne in Dei conſpectum veniant, maledictionem legis ſuſtulit, ne nos feriat, *Rom. IV, 8. Gal. III, 13.* (δ) ſangvinis ſacrificialis aſperſio, qvi qvando populus aſpergendus erat & expiandus, verſus propitiatorium ſpargi debuit *Levit. XVI, 14. 15.* annon expiatio peccatorum noſtrorum fit aſperſione ſangvinis Chriſti qva ab iis mundamur & abluimur? *Hebr. IX, 12.* ſeqq. imo Chriſtus ſuo ipſius ſangvine noſtri gratia fuit aſperſus *Eſai LXIII, 3.* Plura comparationis fundamenta qvi legere cupit, evolvat Origenem *Libr. 3. in Epiſt. ad Rom. I, 3. fol. 156.* Aug. *libr. 26. ſuper Exod. pag. 105.* Theophylactum *in h. l.* B. Herbergerum *Tom. 6. Magnal. pag. 230.* Balduinum *paſſ. typ. part. 2. pag. 380.* Botſacum *alleg. pag. 747. & in Moral. Gedan. fol. 156.* Gerhardum & Wellerum *Comment. in h. l.* Dn. Doct. Calovium *Bibl. Illuſtr. ad h. l.* confer omnino Baumanni *Analect. Typ. pag 564 & 857. ſeqq.*

§. 16. Verba qvæ seqvuntur διὰ τῆς πίστεως Grotius qvidem in MS. ſuo exemplari abeſſe annotavit, cum verò alia exemplaria & plurimæ verſiones eadem exhibeant, de eorum authentia dubitare minime fas erit. Æthiops hic particulam copulativam inſerit. Nam ut præpoſitionem διὰ cum voce τῆς πίστεως conſtructam, traxerat ad præcedens relativum ὃν, ita nunc cauſam inſtrumentalem collatæ miſericordiæ, *fidem*, conjungere vult cum cauſa meritoria Chriſto, h. m. *Qvoniam per eum contulit nobis Deus miſericocdiam ſuam, & per fidem in ſangvine ejus. Vide ſupra §. XIII.* De particula διὰ notari meretur, eam exprimere h. l. Ebræorum ב & pro æqvipollentibus haberi debere locutionibus apud Paulum, διὰ πίστεως *v. 22. 25.* ἐπὶ τῆς πίστεως *Col. III, 9.* ἐκ πίστεως *v. 26.* πίστει *v. 28.* ubi determinatio cauſæ inſtrumentalis apparet excludens opera: χωρὶς ἔργων νόμȣ. Hinc Ebræorum ב tali modo occurrit *Habac. II, 4.* Juſtus בֶּאֱמוּנָתוֹ fide ſua vivet, qvod Apo-

ſtolus

ſtolus per ἐν pronunciavit *Rom.I,17. Gal.III,11. Ebr.X,38.* qvam particulam ב Græci modò per διὰ cum Genitivo ſeu *per, Deut. XXXII,21. Pſ.LXXIIX. Joh.I, 4. Act. XVII,27. Philip.IV,13.* modò per ἐν vel ἐξ *Deut.VI,5. Marc.XII,30. Luc. X,27.* modo ſimpliciter per ablativum inſtrumenti expreſſerunt. Qvæ inſtrumenti notio uti aliàs in ſcripturis freqventiſſima (vid. Buxtorffium *Theſ. Gram. Cap.XIII. pag.480. & Cap.XX. pag.558.*) ita præſenti noſtro textui vel maxime congrua eſt, ut inſtrumentalis cauſa ex parte noſtri ſit fides, ejusqve adæqvatum objectum Chriſtus tanqvam ἱλαστήριον ἐν ἄιματι ἀυτȣ̃. Hinc juſtificari qvidem διὰ πίστεως non διὰ πίστιν dicimur, cum illa locutio inſtrumentum, hæc verò meritum inferat, vid. Wellerum Gram. Græc. *pag. 253.* Papiſtæ qvidem cum concedere cogantur fidem juſtificare, in eo tamen a veritate deflectunt, qvod fidem diſpoſitivè tantum cum aliis virtutibus juſtificare fingant, & qvidem in juſtificatione tantum prima per meritum de congruo, qvod Thom. de Argent. *l.5.* Comp. Theol. *cap.10.* ita definit; *per qvod diſponitur ſubjectum ut poſſit recipere gratiam, qvando facit qvod in ſe eſt.* Bellarminus *libr.I. de Juſtif. cap.12.* ſeptem actus recenſet, qvibus homo ad juſtificationem diſponatur, qvorum primus fidei Actus dicitur, qvem ſeqvuntur timor, ſpes, dilectio, pœnitentia, propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, & propoſitum novæ vitæ. Verum (1.) aliud juſtificare, aliud ad Juſtitiam diſponere, non hoc ſed prius in Scripturis aſſeritur de fide, & hæc ſententia (2.) Pelagianiſmum infert a Patribus jam rejectum (3.) renovationem cum juſtificatione peſſimè confundit (4.) dignitatem fidei ſubjective tribuit, per qvam mereamur juſtitiam, & qvid. de congruo. Vide pluribus hæc refutantem B. Gerhardum *Tom.III. Loc. pag.971.* Meiſnerum *Antropol. decad.3. pag. 390* Brochmannum *Syſt. Tom.II. pag.498.* Scherzerum Anti Bellarm. *diſp.XVI.737.* Wellerum *Comment. in h.l. pag.225.* Iidem Papiſtæ fidem juſtificandi ſpecialem, qva meritum Chriſti mihi in individuo applicare debeã, neceſſariam & e præſenti textu firmiter probari poſſe negant. vid. Cornel. a Lap. Comment. in h.l. Hinc Jeſuit. Haggerus in Collat. A.C. cum Concil. Trident. contra hunc locum excipit, *intelligi fidem de efficacia paſſionis Chriſti, ſeu fidem acqviſitionis, non applicationis*, qvod ſcilicet me hic & nunc ſangvis ille emunda-

verit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

verit. Verum de ea fidei virtute hic agi, per qvam Deus remiſſionem peccatorum credentibus applicat, conſeqventia verba evincunt. vid. Hülſemannum *Manual. diſſ. XVII. pag. 896.* Arminiani & Sociniani fidem pro conditione pacti impletiva habent, cum meritum Chriſti ita ſeſe habeat. Sed uti meritum Chriſti reſpectu noſtrî meræ eſt benevolentiæ, ita & fides illud apprehendens conditio tantum applicativa dici meretur, qvod accurate deduxit Hülſemannus *Breviar. Cap. VIII. Th. XIII.* confer notas B. Scherzeri in h. l. Fides igitur non legaliter conſiderari debet, prout eſt virtus præcepti primi, nec in abſtracto, prout tantum organum apprehenſivum eſt, ſeu ipſa apprehenſio in ſe ſpectata, qvæ apprehenſio non tam objectum imputabile, qvam conditio ſaltem objecti imputabilis eſt; Sed in concreto, ut intelligatur Juſtitia Chriſti cum organo, ſeu qvatenus fide apprehenſa eſt, uti rem cum judicio exprimit B. Carpzov. Iſagog. in A. C *pag. 209.* Qvam ſententiam Scriptura ipſa confirmat, qvæ fidei juſtificanti tribuit, qvod Chriſtum recipiat *Joh. I, 22.* remiſſionem peccatorum credendo in nomen Chriſti recipiat *Act. X, 43. XXVI, 18.* Hinc juſtificari per fidem in Chriſtum ceu propitiatorium & veram victimam dicimur. conf. *v. 22. & Eph. II, 8.*

§. 17. Qvò verò verba ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι referri debeant inter Explicatores diſſenſio oritur. Non pauci eadem ad immediate præcedentia verba διὰ τῆς πίστεως referunt, ut objectum fidei innuatur qvod ſcilicet eadem ad ſacrificium Chriſti feratur, prorieqve in ejus ſangvine per qvem ſola fit remiſſio peccatorum, terminetur & fundetur. Sic reddit Grotius in h. l. & Syrus: *per fidem ſangvinis ejus.* Conſentiunt Cornel. a Lap. in Com. ad h. l. & ex noſtratibus non pauci. confer Scherzerum *Colleg. Anti-Soc. diſſ. LXXXIV. pag. 645. ſeqq.* Rectius verò Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius τὸ *in ſangvine* ad remotius nempe ἱλαστήριον referunt trajectione ſeu συγχύσει verborum Script. ſacræ non infreqventi, vid. B. Glaſſium *Gram. S. Tr. II. Libr. IV. pag. 919. ſeqq.* ut indicetur, propitiatorium iſtud in ſangvine Chriſti nobis propoſitum eſſe. Sic Arabs. *Qvem Deus præconſtituit propitiatorium per fidem, interveniente ipſius ſangvine.* Et Toletus citante Polo in Synops. ad h. l. inqvit, *ſangvis eſt veluti medicamentum,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

cujus virtute ſanamur & Deo reconciliamur : fides eſt medium per qvod virtus medicamenti hujus in hominibus operatur. Hincipſe Cornelius à Lap. in h. l. fateri cogitur: *ſi Græca ſolum ſpectes, & phraſin Apoſtoli, ſenſus Chryſoſtomi probabilior erit* (vide Wellerum *Com. in h. l.* Dn. D. Calovium *Bibl. Illuſtr. pag. 64.*) Nam licet illud falſum ſit qvod Socinus de Servatore *Part. IV. C. X.* objicit: Fidei in aliqvam rem non ἐν ſed εἰς vel ἐπὶ addi, cum iſtud loca qvam plurima *Eph. I, 12. 13 15. Gall. III, 26.* clariſſime refutent, nullibi tamen in Script. Sacra phraſis hæc: *fides in ſangvinem Chriſti*, Toleto jam obſervante, reperietur. Neqve etiam ſic locus erit iſti objectioni, qvam ex hoc loco Piſcator Herbonenſis *Vol. I. diſp. XVI. Loc. XV.* format, qvi arripiens ſententiam Georgii Kargii Brandenburgiaci, (qvem tamen ad palinodiam D. Brentius adegit) obedientiam Chriſti activam, ad noſtram juſtificationem reqviri negavit, qvem etiam alii nempe Zacharias Urſinus, Matthias Martinius, Bucanus, Goclenius, Wendelinus *exercit. 123. 124. pag. 44. 104. & in Syſt. Maj. Cap. XXV. pag. 1113.* & alii ſunt ſecuti: cum in præſenti loco fides dirigi dicatur in ſangvinem Chriſti, qvo paſſio tantum ejus innuatur. Si enim ad propitiatorium referantur verba, clariſſime patebit, Apoſtolum tum ad typum ſacrificiorum in V. T. reſpicere, ut ſicuti ſangvis animalium in ſacrificiis ad Leviticam mundationem effundebatur, ſic ſangvis Chriſti per illum præfiguratus *mundet conſcientiam noſtram ab operibus mortuis Ebr. IX, 13. 14.* tum ad typum propitiatorii ſangvine ſacrificiorum aſpergendi, qvod Chriſtus non alieno ſed proprio ſangvine ſit aſpergendus. Per vocem enim ſangvinis tota ejus ſatisfactio & totius obedientiæ tum activæ tum paſſivæ in morte & paſſione Patri præſtitæ complementum innuitur, in qvo ſummi redemptionis myſterii ἀκμὴ conſiſtit & ad oculum nobis proponitur. In ipſa certe paſſione Chriſti non minus reperire licet activam ejus obedientiam, cum nuſpiam clarius eluceſcat, ipſum obedientem factum fuiſſe Deo, qvam in ſua paſſione & morte. Ipſis tamen Calvinianis ſocii jam contradixerunt Polanus *in Dan. pag. 187.* Joh. Scharpius *de Juſtif. pag. 235.* vid. ex noſtris B. Menzer. *Tom. I. Giſſ.* Affelmann. *Syntag. pag. 538. ſeqq.* Gerhard. *Tom. III. LL. pag. 740.* Kromaj. *diſp. de vita Chriſti annexa ſcrutinio*

Relig.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

Relig. pag. 395. Wellerum *Com. in h. l.* Balduinum *in Comment. pag. 72.*

§. 18. Nec minimum qvoqve ſententiarum divortium oſtendimus in explicatione verborum illorum : εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, qvæ verba cum *verſu 26.* repetantur, Syrus Metaphraſtes plane omiſit, qvanqvam minus recte ob conſtantem omnium codicum lectionem. Eſſe verò referenda ad præcedens verbum προέθετο clariſſime qvilibet videt. Juſtitiam enim, cujus hic fit mentio, cum diverſimode explicent, diverſa qvoqve ἐνδείξεως conſtituenda erit ratio. Aut enim juſtitiam in Deo intelligunt, aut juſtitiam Chriſti nobis partam. Illi iterum in varias ſcinduntur partes. Qvidam de *fidelitate Dei in promiſſis* ſervandis intelligunt (v.g. Ambroſius) juxta qvam, ſicut juſtitiam Chriſti imò ipſum Chriſtum in lege & Prophetis promiſit, ita eô exhibito demonſtravit ſe eſſe juſtum, i. e. veracem & conſtantem in promiſſis ſervandis. Origenes de *Juſtitia Dei vindicativa* explicat, qvæ in paſſione Chriſti maximè manifeſtata fuit, qvatenus peccata totius mundi in Chriſtum conjecta in ipſo punita ſunt, teſte *Eſai. LIII, 5. 6.* Sic enim oſtenderat Deus juſtitiam ſuam, peccata ſcilicet noſtra in Chriſto puniendo, & re ipſa demonſtrando, qvod non niſi interventu perfectæ ſatisfactionis peccata remittat, & qvod contentus ſatisfactione Chriſti non propriam ab hominibus ſolutionem exigat. Hinc B. Rungius *diſp. 5. in Epiſt. ad Rom. pag. 71.* ſcribit, ita Dei juſtitia in ipſo actu gratiæ patefit, qvod nimirum non recipiat peccatorem in gratiam, niſi pleniſſima ſatisfactione pro peccato præſtita. Qvam ſententiam etiam B. Gerhardus textui congruam eſſe dicit ob vocem ἐνδείξεως, ut ſic juſtitia Dei in paſſione Chriſti manifeſtata intelligatur, cui adſtipulatur Dn. D. Calovius *Bibl. Illuſt. pag. 65.* Theodoretus per *bonitatem divinam* explicat, qvæ vel maxime in Chriſto oſtenſa fuit. Unde Joh. Camero in myrothec. ſuper *verſ. 21.* capitis hujus *pag. 178.* affirmat: *juſtitiam nunqvam ſignificatione punitivæ juſtitiæ gaudere ſed ſemper bonitatis & miſericordiæ.* Qvo ipſo tamen Socinianis tela tradit, qvi idem negant, ut ſatisfactionem qvoqve expungere poſſint. Eandem ſententiam amplectitur Grotius & ex eo probat, qvod *LXX.* צֶדֶק vel צְדָקָה tum δι-

καιοσύνην tum ἐλεεμοσύνην vel ἔλεος reddiderint ut *Deut. VI, 25 Pſ. XXIV, 5.* & qvod in Script. qvoqve bonitatem divinam iſtæ voces denotent, *1. Sam. XII, 7.* Uti vero hoc ipſum non negamus, ita inprimis in præſenti loco iſtum obtinere ſignificatum probatione opus eſſe cenſemus. Rectius illi faciunt, qvi *juſtitiam Chriſti paſſione & morte nobis obtentam* hic intelligunt. Sic Æthiops: *ut manifeſtaret juſtitiam ejus* (ſc. Chriſti) *in eos qvi ab initio peccaverant.* Qvod & Luthero viſum in verſione Germanica: Damit er die Gerechtigkeit die für ihn gilt darbiethe. Sed hanc qvidam orthodoxè, qvidam heterodoxe explicant. Cornelius a Lap. per participationem ſeu infuſionem divinæ Juſtitiæ exponit: *Propoſuit*, inqviens, *Deus Chriſtum propitiatorem eum in finem, ut ſcilicet divitias juſtitiæ, qva Deus in ſe juſtus eſt, oſtenderet, communicando eandem juſtitiam nobis peccatoribus, & oſtenderet ſe eſſe illum qvi juſtificat peccatores per Chriſtum, ſuamqve eſſe hanc juſtitiam non hominum:* Verum Auguſtinus, Chryſoſtomus, Anſelmus pro juſtitia Chriſti nobis parta & per fidem peccatoribus imputata, magis orthodoxè pugnant. Eſt hæc juſtitia Dei Evangelica, qvæ in Evangelio nobis patefit, ſecluſa Lege *Rom. I, 17.* & in imputatione fidei conſiſtit, *Rom. IV, 5.* qvam alibi *δικαίωσιν ζωῆς* appellat Apoſtolus, & condemnationi opponit *Rom. V, 18.* qvia cum juſtitia fidei coincidit *Rom. IV, 13. X, 6.* Sunt ergo Synonyma juſtificari fide, & juſtificari juſtitia Dei, vel juſtitia Chriſti, vel juſtitia aliena, vel imputata, vel evangelica, qvam paſſivam Dei juſtitiam Lutherus appellat. Cujus & reliqvorum modo laudatorum Patrum veſtigia nos lecturi eandem imputativam Chriſti Juſtitiam cum B. Wellero Com. in h. l. intelligimus, noſtramqve ſententiam confirmamus (1.) ex verſ. præced. 22. ubi hæc juſtitia vocatur *juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti*, extendens ſe *in omnes & ſuper omnes qvi credunt in eum.* (2.) ex verſ. ſeqv. 26. ubi iterum declarat qvamnam intelligat juſtitiam, eam ſcilicet, qva Deus juſtificat illum qvi eſt ex fide in Chriſtum. Hæc vero ſola Chriſti juſtitia eſt merito ejus acqviſita (3.) idem *ἐνδείξεως* hujus juſtitiæ ratio clariſſimè evincit. Oſtendit enim Deus in juſtificatione hanc nobis imputatam juſtitiam, & qvidem (*α*) a qvo & per qvem ſit impetranda, ſcilicet à Deo per Chriſtum, ſe enim eſſe juſtificantem,

ſuam

ſuamqve eſſe non hominum, fidei non legis aut operum juſtitiam (β) in qvo conſiſtat, ſcilicet in reconciliatione cum Deo per Chriſtum; ſe nempe hâc ſola via eos pro juſtis habere, ſi præterita delicta per filium remittat (4.) ipſa demonſtratio punitivæ juſtitiæ e paſſione Chriſti ſumenda, demum in *v. 26.* habetur, niſi ſupervacaneam eorundem verborum (πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ) repetitionem ſtatuere velimus. (5.) ea juſtitia h. l. intelligitur, qvæ in N.T. demonſtrari primitus poterat, qvæ ſola meritoria Chriſti juſtitia eſt, cum eſſentialem & vindicativam jam olim ſæpius oſtendiſſet vid. B. Hülſemannum *Op. poſth. p.547.*

§. 19. Reliqva verſiculi 26. verba ut interpretibus ſemper Crucem fixerunt, ita conſenſum eorum hac in parte nobis promittere non licet. Ea verò ita ſeſe habent: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. Qvæ Syrus, voce παρέσεως neglecta, ita transtulit: *propter peccata noſtra qvæ antea patravimus.* Æthiops autem præterea abſtractum in concretum & nomen in verbum mutans hoc modo enunciat: *Ut manifeſtaret juſtitiam ejus in eos qvi ab initio peccarunt.* Ad fontes magis congruè Vulgatus & Arabs: *propter remiſſionem* (præcedentium, vel) *jam commiſſorum peccatorum.* Sed qvia παρέσεως vocabulum Metaphoricam involvit h.l. ſignificationem, variis expreſſum fuit ſenſibus. Auguſtinus *de Spirit. & lit. c.3.* nec nõ Ambroſius pro παρέσεως voce, πρόθεσιν ſubſtituunt, ſive propoſitum, qvod ex eorum mente benignam Dei voluntatem & εὐδοκίαν notat, qva Deus peccatoribus ſubvenire eosqve à præteritis ſuis delictis liberare ſtuduerit. Chryſoſtomus & Svidas exponunt per νέκρωσιν ſeu *mortificationem.* Theodoretus per *tabẽ, corruptionem, virium remiſſionem & debilitatem* explicat, qvaſi dicat Apoſtolus: *propter tabem præcedentium delictorum*, ut ſcilicet antiqva & tabida qvaſi peccata aboleret mundumqve langvidum & paralyticum ſanaret. Qvo fine Chriſtus omnino in mundum venit. Hinc Budæus *Comment. Græc. Lingv. pag.763.* hic allegat Gregor. Nazian. qvi ita vocabulum παρέσεως uſurpat: ϛρατὸς παρειμὼς τὰς χεῖρας, καὶ τὰς ἐλπίδας, *exercitus, qvi, velut collapſis langvidisqve manibus, ſpem etiam habet intermortuam.* Hinc Plutarchus dicit: παρειμένος τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὸ τῆς συμφορᾶς, *animo & corpore defectus præ mæſtitia.*

mæſtitia. Beza in verſione N. T. Latina Cantabrigiæ edita 1642. vertit præteritionem: *prætereundo peccata* & in Notis: *leviter præteriens eorum peccata:* qvaſi πάρεσις ſit à πάρειμι (cum potius à παρίημι deſcendat ut ab ἀφίημι eſt ἄφεσις remiſſio) obſervante Coccejo Comment. in h. l. pag. 184. Rectius vero illi faciunt qvi per remiſſionem peccatorum explicant, uti Anſelmus, Origenes & Heſychius qvi per ἄφεσιν & συγχώρησιν exponunt, & Budæus in doctiſſimo Theſauro ſuo per aliqvot exempla oſtendit, παριέναι idem eſſe qvod ἀφιέναι. Sicut etiam apud *LXX.* Interpretes παρίημι de *dimiſſione* adhiberi ſolet. Hinc Cornelius a Lap. in h. l. ex Budæo qvoqve notat, παριέναι qvandoqve ſignificare *aliqvid de ſuo remittere & tranſilire* i. e. *condonare.* Notat verò πάρεσις proprie *vinculorum relaxationem.* Cum igitur peccata ſpiritualia qvaſi ſint vincula qvibus nos ſub poteſtate ſua & Satanæ reſtrinxerant, & non tantum ad bonum ineptos reddiderant, ſed & ad pœnam tum temporalem tum æternam obligaverant, qvæ Chriſti redemptione laxari oportuit; Hinc peccatorum remiſſio optimè παρέσεως vocabulo hoc loco exprimitur. Inter Phraſes enim ſynonymas remiſſionis peccatorum non tantum *deletio & projectio poſt tergum Eſa. XXXIIX, 17.* ſed etiam *tectio & præſcriptio Pſ. XXXII, 1. 2.* refertur, qvæ nihil aliud qvàm πάρεσις ſive *prætermiſſio.*

§. 20. Objectum hujus ἀφέσεως vocantur προγεγονότα ἁμαρτήματα per qvæ Dn. Calovius *in Annotat. Anti Grot.* h. l. *peccata ante juſtificationem commiſſa* intelligit, qvæ Deus tam diu toleret, donec peccatores admoniti pœnitentiam agant ac remiſſionem peccatorum ſuorum conſeqvantur. Sic enim Deus peccatorem per contritionem humiliatum & proſtratum attollit, antegreſſa peccata remittens, qvæ inſtar gravis ſarcinæ ipſum depreſſerant *Pſ. XXXIIX, 5.* Qvod renatis ſolatio eſſe poteſt, dum de præſentium infirmitatum ſibi adhærentium remiſſione dubitare non opus habent, cum præcedentium numero plurimorum & pondere graviſſimorum remiſſionem ſint adepti. Qva explicatione olim jam abuſus Novatus ſtatuit, tantum peccata ante Baptiſmum & juſtificationem commiſſa virtute ſangvinis Chriſti tolli, qvæ verò à renatis poſt acceptam gratiam committantur, nullo modo remitti, ceu de eo refert Dionyſius Alexandrinus *in Epiſt. ad*

Nova-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

Novatian. & Cyprianus *Epiſt.* 41. 42. 43. Plurimi verò interpretum ad tempora V. T. hoc referunt & *peccata ante Chriſti adventum commiſſa*, & qvidem à mundi origine ad Chriſtum, qvibus totus mundus implicitus erat, intelligunt. Sic *Ebr.IX,* 5. Chriſtus dicitur N.T. Mediator, cujus mors facta ſit in redemtionem earum prævaricationum, qvæ fuerant ſub priori Teſtamento. Hæc enim vis mortis Chriſti non ad N. tantum Teſtamentum, de qvo *Τὸ νῦν v.*26. loqvitur, ſed ad præterita qvoqve V.T. tempora ſeſe extendit, cum ejus paſſio antrorſum & retrorſum valuerit. Agnus enim occiſus dicitur ab initio mundi *Apoc.XIII,*8. cujus meriti valor in V. qvoqve T. viguit. Peccata igitur prius in V.T. admiſſa in ordine ad Chriſti meritum futurum indigitantur, qvæ qvidem plene patribus fuere remiſſa, à Deo tamen, actu in filio nondum puniendo, tolerata: Hoc eleganti verbo iſto προποφορεῖν haud parum declarari poterit qvo Paulus *Act. XIII,* 18. utitur, de cujus emphaſi evolvatur Crauſeri *Phoſphorus p.*173 Cave verò cum Grotio & Coccejo huc referas locum *Act. XVII,* 23. in qvo vox *diſſimulationis* occurrit: *tempora ignorantiæ diſſimulans* (ὑπεριδὼν) *Deus nunc denunciat omnibus ubiqve reſipiſcere*; cum de juſtificatione ibi minimè ſermo ſit, nec hujus diſſimulationis cum præſenti noſtra παρέσει eadem fingenda ratio. In peccatorum enim remiſſione non ſola miſericordia ſed & juſtitia Dei apparet, dum peccata non temerè ex incuria & inſcitia remittit vel impunita relinqvit, ſed intuitu ſatisfactionis Chriſti plenariæ per fidem apprehenſæ. Papiſtarum nonnulli limbum ſuum patrum ex hiſce verbis extruere ſatagunt, in qvo Patres ante Chriſti adventum detinentur, ſine pœna ſenſibili, veluti Lyra cum Dionyſio Carthuſiano ineptiebat. Non enim πάρεσις ſeu ſolutio præteritorum hominum, ſed peccatorum innuitur, qvæ in Vet. qvoqve Teſt. remiſſa fuiſſe jam monuimus; Qvem carcerem diſſolutum videas à B. Gerhardo *Tom. IIX. LL. pag.*292. Brochmando *Tom II. Syſt. pag.*290. Meiſnero *Philoſ. Sobr. Cap. III. pag.* 575. Cauſæ verò cur præteritorum horum peccatorum præprimis meminerit, non paucæ allegari poterunt: (1.) ut indicaret, Chriſtum non ſolum ſatisfeciſſe pro peccatis, poſt ſuam in cruce oblationem perpetratis, ſed etiam illis qvæ jam à primorum parentum

lapſu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

lapſu fuere admiſſa. Ideo & *v.21.* dixit: *Juſtitiam Dei, qvæ eſt per fidem Jeſu Chriſti teſtificatam fuiſſe à Lege & Prophetis.* Qvomodo teſtificata? qvia ex Libris Legis & Prophetarum patet, jam tum, diu ante adventum ſuum fuiſſe eum poſitum placamentum ad demonſtrationem juſtitiæ Dei, propter remiſſionem illorum peccatorum, qvæ ante adventum ejus patrata fuerunt. De peccatis enim ſeqventibus res in aprico erat; de præteritis verò majoris momenti qvæſtio videbatur, qvod ſcilicet patribus ante Chriſtum contigerit, & qvomodo horum peccata prius remitti poſſent, qvam expiarentur, cum incredibile rationi viſum fuerit effectum ſeu remiſſionem [causa ſuâ, nempe merito Chriſti priorem eſſe, *(2.)* Demonſtrare voluit, nudo ſangvine taurorum ac hircorum nullo modo peccata aufferri poſſe *Ebr. X, 4.* alioqvin antitypo opus non fuiſſet. Agnus enim Paſchalis, ſacrificia, & propitiatorium in V.T. futuram Chriſti ſatisfactionem per fidem credentibus applicandam adumbrarunt *(3.)* docere inſtituit poſt mortem Chriſti non amplius peccatis indulgendum eſſe, niſi ingratitudinis nota nobis inuri debeat, cum enim ſciamus, *ſalutis tempus non tam prope eſſe qvam jam adveniſſe, tempus qvoqve erit, nos à ſomno peccati expergiſci Rom. XIII, 11.* Nullo igitur modo peccatorum remiſſio licentiam peccandi nobis concedit, *ſed vetus noſter homo cum Chriſto crucifixus eſt, ut aboleatur corpus peccati ne poſthac ſerviamus peccato Rom. VI, 6.* (4.) certitudo remiſſionis peccatorum haud parum ſtabilitur, cum tot ac tam enormia præcedentium temporum peccata infinito Chriſti valore condonata fuerint.

§. 20. Qvæ verò ſeqvuntur verba ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, (i. e. *in ſuſtentatione Dei*, juxta Vulgatum. *Per dilationem, qvam dedit nobis Deus longanimitate ſua*, juxta Syrum. *Per tolerantiam Dei ejusqve conniventiam*, juxta Æthiopem,) vel cum Luthero, Beza, atqve aliis, annecti poſſunt huic verſiculo 25. vel ſeqventi 26. ut diſtinguunt Græci Codices, Vulgatus, Syrus, & Æthiops, Reſpiciunt autem peccata προγεγονότα h. s. Qvæ peccata ante hoc tempus tam â Judæis qvam à Gentibus commiſſa Deus *magna qvadam patientia* (nam ſic ἀνοχῆς vocem adhibuit eriam *Rom. II, 4.*) *toleravit*, usqve dum Chriſtus veniret, eaqve ipſo actu

per

per mortem crucis expiaret. Recte proinde Beza ſupplet nomen relativum *illa: Deo* illa *tolerante*. Ut ita πάρεσις τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων facta fuerit ἐν τῇ ἀνοχῇ, qva Deus peccatores patienter tulit, nec iis opem ac ſpem omnem ademit, aut eos præſentaneo exitio adjudicavit, ſed benigne exhibuit & ſpatium & media pœnitentiæ, Chriſtum ſcilicet ipſis jam ab origine mundi *Hebr. IX, 15.* tum in promiſſionibus tum in typis patefaciendo atqve offerendo, cum ſpe veniæ certiſſima non qvidem ſimpliciter & abſolute concedendæ, ſed ſub conditione fidei impetrandæ. Bene Gerhardus noſter ad h.l. *f. 118. Et ſane*, inqvit, *Apoſtoli ſcopus eſt, his verbis oſtendere, qvod Deus propter futurum Chriſti ſacrificium erga peccatores etiam in V.T. LONGANIMIS fuerit, ac propter illud pœnitentibus peccata remiſerit.* Sunt etiam qvi ἀνοχὴν τοῦ Θεοῦ Mediatoris adventum reſpicere arbitrentur, qvi in V. T. poſitus qvidem erat placamentum, ſed patienter ejus exhibitio exſpectanda fuit. vid: Lud. de Dieu *animadv. ad h. l. f. 41.* Cui ſententiæ non adeo refragamur, qvia cum noſtra expoſitione facile conciliari poteſt. Neqve enim peccata veterum Patrum remittere potuiſſet Deus, niſi pro ſua patientia reſpexiſſet futurum illud aliqvando placamentum filii ſui.

§. 21. Pergit Apoſtolus in verſ. 26. πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *ad demonſtrationem* (vel, *oſtenſionem*) *juſtitiæ ſuæ in præſenti tempore*. Qvæ verba fere coincidunt cum iis, qvæ præcedente *v. 25.* poſuerat, niſi qvod hîc non ſit præpoſitio εἰς, ut ante, ſed πρὸς, qvæ Gvil. Eſtio valet *usqve ad*, ut ſenſus ſit, Deum toleraſſe peccata hominum usqve ad hoc tempus, qvo ſuam juſtitiam mundo voluit patefacere & exhibere. Coccejo vocula πρὸς *convenientiam* ſignificat, q. d. Qvod conſentaneum erat voluntati oſtendendi juſtitiam ſuam in hoc tempore, nempe poſt tolerantiam longi temporis. Aliis πρὸς idem eſt ac *propter*, qs. hæc tolerantia facta ſit, propter oſtenſionem juſtitiæ divinæ, qvæ erat futura ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Nobis πρὸς declarat & finem οὗ *cujus*, ſive ultimum, ut ſe juſtum oſtenderet, & finem ᾧ *cui* ſive proximum, ut nos juſtificaret. Ita enim Paulus ſemetipſum explicat. Qvid qvod Æthiops, omiſſa voce juſtitiæ, hæc verba cum ſeqventibus ita ſtatim connectat: *Ut notum face-*

 ret

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ret hoc tempore, qvod juſtus eſt, & juſtificator eorum, qvi credunt in Jeſum. Voce δικαιοσύνης τȣ̃ Θεȣ̃ non, ut ſupra, intelligitur juſtitia evangelica, ſed maxime *legalis*, qvæ demonſtrata eſt vindicatis & in carne Chriſti punitis atqve damnatis hominum peccatis. Hoc enim publice declarandum erat, qvod Deus legem non fruſtra tuliſſet, ſed impletam eam vellet, ac pœnam à prævaricatoribus Legis certo reqvireret: qvorum utrumqve cum à nobis præſtare non poſſet, acceptavit illud in filio, qvi & Legem obſervavit, & in ſangvine ſuo pœnam pro nobis debitam luere voluit. Aliter enim Redemtio Generis humani vi juſtitiæ divinæ fieri non poterat. Demonſtrata vero eſt hæc Dei juſtitia ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *præſenti, vel hoc qvod nunc eſt tempore*, nempe *Novi Teſtamenti*, ſeu qvo Chriſtus eſt exhibitus, & placamentum, ad qvod poſitus fuerat, præſtitit. Hugo Grotius hoc tempus extendit ad illud, *quo Apoſtoli prædicarunt Evangelium, ad excidium uſqve urbis & templi Hieroſolymitani.* Hinc etiam Coccejus demonſtrationem juſtitiæ Dei ponit *in ira irroganda Judæis, qvi præ Gentibus cæteris maximas prærogativas eſſent conſecuti.* Sed præter ſcopum Apoſtoli, qvi juſtitiæ Divinæ *ſpecimen maxime conſpicuum* eſſe docere vult, *in paſſione Chriſti*, qvatenus ad Legem Dei refertur & legis eſt executio ſeveriſſima. Qvamvis enim πανολεθρία politiæ Judaicæ, & alia pœnarum exempla (v.g. diluvium, perditio Sodomæ & Gomorrhæ) ſint evidentia ſigna iræ divinæ adverſus peccata, tamen illa ſunt particularia ratione tum temporis tum locorum. Hic autem reatus, qvi Chriſto imputatur, eſt univerſalis, ab omnibus, qvotqvot inde ab initio mundi fuerunt, ſunt, & usqve ad finem ejus, futuri ſunt, peccatoribus contractus, & pœnæ, qvas pro nobis Chriſtus luit, qvoad qvantitatem & qvalitatem ſunt maximæ, & congeries qvædam reatus peccatorum, & abyſſus iræ divinæ.

§. 22. Ultima verba Dicti ſunt: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιȣ̃ντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησȣ̃, vel ut alii Codices habent, Θεȣ̃, *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificet eum qvi eſt ex fide Jeſu, qvi Deus, & non homo nudus eſt.* Elegans hic paranomaſia in δίκαιον & δικαιȣ̃ντα. *Juſtus* eſt Deus, Sanctus & rectus, juſtus in ſe, juſtus vindex gloriæ ſuæ, qvi peccata non dimittit impunita, & jus le-

gis

gis ſuæ exſeqvitur in Filio vices noſtras ſuſtinente: qvi neminem juſtificat, niſi ſatisfactione à Chriſto facta, ſed ita nobis gratis condonat, ut in Filio juſtiſſime vindicet. Non tantum autem Deus ſe juſtum oſtendit, ſed & propter ſatisfactionem Chriſti *juſtos facit alios (ὁ δικαιῶν)* ſeu Autor juſtitiæ eſt in aliis, qvi nempe *ſunt ex fide Jeſu (τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ)* i.e. qvi per fidem amplexi ſunt Chriſtum & ejus meritum, ſeu qvi abjecta omni ſpe ac inani Legis confidentia fidem Chriſti ſuſceperunt, & juſtitiam per fidem ab eo expectant, eamqve oblatam in verbo & Sacramentis ſibi appropriant. Tales (ut prædictum eſt *Eſa. LIII, 11.*) juſtificantur (qvod Syrus addit) *ex æqvitate ſeu juſtitia*, i.e. a damnatione peccati & Satanæ liberi atqve immunes juſte declarantur, propter illam redemptionem, ipſamqve Dei juſtitiam, qva hoſtes illos fidelium, peccatum, & Satanam, in Chriſto & per Chriſtum peſſundedit ac interemit. Huc pertinet paraphraſtica Verſio Arabis, qvi habet: *ut cognoſcatur, eum eſſe juſtum, & juſtificari per juſtitiam ejus, eum qvi crediderit in Dominum noſtrum Chriſtum.*

§. 23. Excuſſis jam Circumſtantiis atqve vocabulis textus præſentis omnibus, facile intelligimus *ſcopum* ſic *principalem* totius Epiſtolæ ad Romanos ſcriptæ attingi, qvi eſt de Juſtificatione Hominis peccatoris coram Deo, cujus ſumma huic disjunctivo Syllogiſmo includitur, a B. Balduino *in Com. f. 9. Aut ex fide juſtificamur, aut ex operibus.* Sed, *non ex Operibus.* Ergo *ex fide.* Progreditur ſcilicet Apoſtolus a remotione membri poſterioris ad poſitionem prioris. Membrum *poſterius* removet verbis hactenus explicatis & *v. 24. 25. 26.* comprehenſis, adeoqve ſerio inculcare ſtudet, qvantopere ſint decepti, qvi juſtitiam ſuam coram Deo qværant in operibus legis. Si enim per opera legis juſtificatio obtineri potuiſſet, non opus habuiſſet Deus demonſtrationem juſtitiæ ſuæ qværere in Sangvine Chriſti: utpote cui juſtitiæ Deo eſſentiali alia ratione ſatisfieri non potuit. At ei alia ratione ſatisfactum fuiſſet, ſi homo nullius peccati reus operibus ſuis coram Deo ſtare juſtus voluiſſet. Sic enim non erat neceſſe demonſtrare juſtitiam punitionis vel in ipſo homine, vel in ejus ſponſore CHRISTO. Jam vero neceſſe illud fuit non tantum qvoad peccata præterita fidelium in V. T. qvæ in Dei tolerantia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ſunt remiſſa, non demonſtrata tum punitionis juſtitia, cujus demonſtratio reſervabatur in futuram illam Chriſti ἀπολύτρωσιν, in qva Deus ſe abunde oſtendit non juſtum duntaxat, ſed & juſtificantem omnem peccatorem utriusqve Teſtamenti ſc. per fidem, qvæ defigi debet in expiationem illam tanqvam fundamentum juſtificationis. Membrum autem poſterius ponere incipit *v. 27. Ubi eſt ergo gloriatio? excluſa eſt. Per qvam Legem? factorum? Non. Sed per Legem fidei.* Unde mox generalem propoſitionem infert *v. 28. Arbitramur igitur Hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Λογιζόμεθα dicit, qvod firmiſſimam Concluſionem ex præcedentibus, ſubductis qvaſi calculis, deductam ſignificat.

SECTIO II.

DIDACTICA.

CUm præſens dictum noſtrum pro virili jam ſatis explicatum ſedes claſſica doctrinæ de juſtificatione dicatur, ex qvo omnia ferme reqviſita omnesqve cauſæ deduci clariſſimè poſſint; (Vere enim B. Gerhardus loco de Juſtificatione *pag.680.* aſſeruit: *totam juſtificationis doctrinam perſpicua & miranda brevitate hoc præſens dictum noſtrum complecti,*) Hinc operæ pretium nos facturos putavimus, ſi ὡς ἐν τύπῳ totum hujus loci σύστημα ex textu exhibeamus & depingamus, Proponitur enim ibi:

(I.) *CAUSA EFFICIENS PRINCIPALIS,* qvæ *Deus juſtificans eum qvi eſt ex fide Jeſu v.26. & præſtituens Chriſtum* ἱλαστήριον *per fidem in ſangvine ipſius v.25.* ut ſic ejus, cujus eſt πλάσις καὶ κτίσις, etiam ſit ἀνάπλασις καὶ ἀνάκτισις, uti Juſtinus & Athanaſius loqvuntur. *Conf. Eſai XXXIV,7. XLV, 21.24.25. Jerem. XVII,17. Marc. II.1. Rom. IV,4. VIII,33. Gal. III,8. 2. Cor. V,20.* Qvia verò opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa; hinc juſtificatio omnibus Trinitatis perſonis attribui cum ſcriptura poterit: de Patre evolvas *Rom. VIII,34.* de Chriſto *Eſ. LIII,11. Matth. IX,26.* de Spiritu Sancto *Rom. V,5.* Omnium perſonarum conjunctim fit mentio *1. Cor. VI,11.* Qvæ perſonæ

conjunctim

conjunctim una numero actione hominem juſtificant, id qvod eleganter Cyrillus *Libr. V. de Trinit. Tom. II. pag. 341.* expreſſit; *Non ſeorſim qvidem*, inqviens, *Deus Pater, ſeorſim autem & proprie Filius, ſed qvæ eſſe intelligitur juſtificatio a Patre, ea omnino eſt & Filii, & qvam Filius largitur, ea eſt & Patris.* Cum verò Deus nos dicatur juſtificare ut *Principium qvod*, jam porro inveſtigandum eſt *Principium qvo*. Et hoc diſtingvitur in *remotum* & *proximum*. Illud eſt *Gratia* Dei. De exſecutione enim ſive actu ſecundo juſtificationis ſermo eſt cum dicitur: *Ut qvi juſtificentur gratis*, τῇ αὐτοῦ χάριτι, *ejus Gratia v.24.* Hoc vero eſt Juſtitia Dei, qvæ licet analogiam habeat cum commutativa, non tamen eſt eſſentialis Dei juſtitia, ſed actus juſtitiæ promeritæ, ſive per ſatisfactionem Chriſti impetratæ. Ratio, cur Juſtitia & non Gratia Dei proxime in juſtificationis effectum influat duplex e textu noſtro affertur a B. Hülſemanno (1) Qvia Apoſtolus, qvando utrumqve hoc idioma Dei dicit eſſe cauſam noſtræ juſtificationis, juſtitiam proximo loco ponit *v.26. ut ipſe ſit juſtus & juſtificans.* (2.) qvia denominationem *juſti* ſumit a juſtitia Dei juſtificantis, non a miſericordia. Cum alias: ſi Gratia Dei eſſet cauſa proxima, denominatio noſtri ab hac ſumenda videretur, & nos dicendi κεχαριτωμένοι benevolentia affecti, ut Virgo Maria *Luc. I.28.* & electi omnes, *Eph. I, 6.* vide *Oper. poſthum. f.554.*

II. *CAUSA IMPULSIVA*, qvæ tum interna tum externa. *Interna* qvidem eſt gratia Dei, ſeu gratuitus Dei favor & miſericordia, qvæ cum gratis fiat, pro infuſo charitatis habitu explicari minimè poterit. Qvamvis autem Gratia Dei paulo ante inter Cauſas *exſecutivas* juſtificationis a nobis numerata fuerit; nihil tamen impedit, qvo minus etiam dicamus cauſam *impulſivam*, juxta ductum Apoſtoli *Eph. II, 4. 2. Tim. I, 9. Tit. III, 4.5.* ubi ſimul voce *Gratis* omnes hominum diſpoſitiones, qvalitates, actiones, & merita excluduntur. Qvemadmodum enim alias Benevolentia Dei, & motus per Benevolentiam in nobis excitatus habent ſe ad opera pietatis in renatis non tantum per modum principii *impellentis*, ſed etiam per modum Principii *concurrentis* ad executionem ac continuationem, *Phil. II, 13.* ita Benevolentia ſive Gratia Dei eſt & impulſiva & exſecutiva cauſa juſtificationis. Vide Hülſemannum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

num *l. c.* *Externa* vero ſeu talis, qva Deus movetur, ut actu ipſo omnes credentes juſtificet & a peccatis abſolvat, eſt Chriſtus. Licet enim hic potiſſimum ſit meritoria juſtificationis cauſa, qvatenus tamen obedientiam ſuam fide credentium apprehenſam Deo Patri in cœlis præſentat cum interceſſione pro nobis & advocatione, qvæ ſui ſacrificii virtute nititur, *Hebr. IX, 24. Rom. VIII, 34. 1. Joh. II, 1.* recte ſimul impellens cauſa ſalutatur. vid. B. Gerhardum *LL. de Juſtificat. pag. 704.* Höpffnerum *diſp. I. de Juſtif. pag. 46.*

III. *CAUSA MERITORIA* qvæ tribus ſignificantiſſimis verbis hic ab Apoſtolo deſcribitur (1.) per ἀπολύτρωσιν, τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, qvæ reſpectum habet ad Spiritualem captivitatem in regno Satanæ, a qva precioſo Chriſti λύτρῳ ſumus redempti. (2.) per ἱλαστήριον, qvod reſpectum habet ad operculum arcæ fœderis in V. T. (3.) per αἷμα τοῦ Χριστοῦ, qvo Synecdochice tota Chriſti obedientia tam activa qvam paſſiva notatur. Sive vero dicas Chriſtum redemtorem eſſe cauſam Juſtificationis meritoriam, ſive obedientiam & ſatisfactionem ejus redemtoriam, perinde erit, cum Chriſtus ut mediator & redemtor ſeu ratione ſuæ redemtionis & ſatisfactionis conſiderari debeat. vid. *Rom. V, 10. 19. Matth. XX, 28. XXVI, 28. 1. Cor. I, 30. 1. Tim. II, 5. 6.* Et qvidem intelligitur non tantum obedientia Chriſti paſſiva ſeu mortis *Eſai. LIII, 5. LXIII, 3.* ſed & activa qva legem ſanctiſſimam implevit, *Rom. V, 19. VIII, 3.* Sunt qvidem, qvi obedientiam ejus cauſam juſtificationis *materialem* vocant, uti Lobechius *diſp. VII. in A. C. Th. XXXVIII.* Zehnerus *in Comp. Theol.* qvi tamen reſpectum potius habent ad ipſam meriti applicationem, qvæ ſine Chriſti Juſtitia morte acqviſita & fide applicata fieri non poteſt. Minus verò recte Bellarminus *Lib. I. de Juſt. Cap. II.* Chriſti humanitatem *inſtrumentalem* cauſam appellat. Qvamvis enim reſpectu obedientiæ ſuæ *Philip. II, 8.* *ſervus Dei* audiat *Eſa. LIII, 11.* tamen cum actiones & paſſiones Chriſti redemptoris non humanæ tantum naturæ, ſed toti perſonæ tribuendæ ſint; ideo Chriſtus in officio mediatorio eſt & manet cauſa principalis ſecundum utramqve naturam, autor & Dator vitæ *Act. III, 6.*

IV. *CAUSA INSTRUMENTALIS*, qvæ vel ex parte Dei vel homi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

hominum conſiderari poteſt. Ex parte *Dei* ſunt *verbum* & *ſacramenta*, per qvæ & in qvibus beneficia Chriſti hominibus offeruntur; ſi verò accurate loqvi volumus, potius erit miniſterium verbi & diſpenſatio Sacramentorum, ut verbum per miniſterium Eccleſiaſticum prædicatum, & Sacramenta actu per miniſtros Dei diſtributa intelligantur, per qvæ media Spiritus Sanctus in cordibus noſtris efficax eſſe vult fidemqve accendere & confirmare *Luc.XXIV, 47. Act.XIII,38. Rom.X, 17. 2.Cor.V, 18.* imò remiſſionem peccatorum donare *Joh.III,5. Act.II,38. X, 44. Rom.IV, 11. 2.Cor.III,9. Eph.V, 26.Tit.III,5.* Hocqve medium in προθέσει divina (ὃν προέθετο ὁ θεὸς *v. 25.*) ſimul includi jam ſupra §. XIII. monuimus, vid. Hopffn. *diſp.1. de Juſtif. pag.48.* Ex parte *hominum* inſtrumentalis cauſa ſola & unica *fides* eſt, (διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. *v.25.* καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ *v.26.*) ſeu cor fidele, a Spiritu Sancto illuminatum fideqve donatum uti Apoſtolus dicit: *Corde nos credere ad juſtitiam Rom.X, 10.* Fides enim medium ληπτικὸν eſt, qvod beneficia Chriſti in verbo & ſacramentis tanqvam mediis δοτικοῖς oblata amplectitur, nempe remiſſionem peccatorum, juſtitiam, adoptionem in Filios Dei &c. Cum verò organa ſeu inſtrumenta unius Generis non ſint, ſed qvædam *Operativa*, qvæ cauſæ principali cooperantur, uti ſerra in findendo ligno, qvædam *Dativa* qvæ effectum ab alio productum aliis porrigant, uti manus divitis pauperi erogat eleemoſynam, qvædam *apprehenſiva* qvibus res oblata accipitur & in noſtrum uſum convertitur, veluti manus pauperis capit eleemoſynam; Ita fides ex poſtremi generis inſtrumentis æſtimari debet, qvæ propterea vocatur ἀποδοχὴ receptio *1. Tim.I, 15.* & per verba λαμβάνειν, καταλαμβάνειν *Joh I,5. 11, 12.* exponitur. Hinc minus accurate fides inſtrumentalis cauſa juſtificationis noſtræ dici poteſt, cum non ſit operativum ejus inſtrumentum, ſed comparatur tantum inſtrumento, ſeu accedit proximè ad naturam vivi inſtrumenti. Hinc B. Hopffnerus rectius fidem organum juſtitiam Chriſti apprehendens vocavit *diſp.I.pag.50.*

V. *CAUSA FORMALIS* juſtificationis noſtræ, qvæ στερήσει καὶ θέσει ſeu actu privativo ac poſitivo abſolvitur; *privativus* eſt propriæ injuſtitiæ non imputatio, ſeu peccatorum remiſſio, qvæ

in

in loco Paulino per *πάρεσιν τῶν ἁμαρτημάτων* ſeu *remiſſionem* aut *relaxationem peccatorũ*, innuebatur *v. 25. Poſitivus* eſt alienæ Chriſti juſtitiæ imputatio, qvam *ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης* ſeu *demonſtratio juſtitiæ Chriſti in nobis per imputationem* infert. vid. ſupra *§. XVIII.* Qvæ phraſes ratione tantum differunt qvoad terminum ſc. *a qvo* (peccato) & *ad qvem* (juſtitia Chriſti) qvia cuicunqve peccata remittuntur, eidem imputatur juſtitia Chriſti. Hinc Scriptura ſacra juſtificationem modo ab uno tantum termino, per *remiſſionem* ſcilicet *peccatorum Pſal. XXXII, 1. Rom. IV, 6. Coll. I, 14.* modo ab altero *per imputationem* ſcilicet *juſtitiæ* deſcribit *Rom. IV, 5.*

VI. *FINIS* ex parte Dei eſt divinæ miſericordiæ pariter ac juſtitiæ admirandæ demonſtratio. Qvando enim Chriſti ſatisfactio juſtitiæ divinæ præſtita per fidem nobis applicatur, exinde ſimul miſericordia & juſtitia Dei inclareſcit, qvod peccatorum qvidem miſertus fuerit, neminem tamen juſtificare voluerit, niſi qvi vel propriam vel alienam fide apprehenſam juſtitiam habuerit. Sic enim *δικαίωμα* ſeu jus Legis in nobis impletur *Rom. VIII, 4.* & fide poſſumus ſtabilire legem *Rom. III, 31.* Conf. *Rom. V, 8. Eph. I, 3. 6.* Eleganter hunc finem Apoſtolus *v. 26.* inſinuatum declaravit: *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, ut ipſe ſit juſtus* (ſeu juſtus agnoſcatur: ita verſ. præced. 4. dixerat: *ut juſtificeris*, i.e. pro juſto agnoſcaris, *in ſermonibus tuis.*) *juſtificans eum qvi eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Hinc igitur elucet admirabile temperamentum juſtitiæ & miſericordiæ in Deo, *qvi & ipſe juſtus eſt, & juſtificat eos, qvi ſunt ex fide Jeſu Chriſti. Juſtus* ſc. eſt, qvia exeqvitur jus Legis ſuæ in Filio, qvi vices noſtras ſuſtinens & Legem implevit, & in Sangvine ſuo pœnam nobis debitam luere voluit: *Miſericors*, qvia juſtificat & a peccatis abſolvit eos, qvi nullorum Bonorum operum ſibi ſunt conſcii, ſed tantum vera fide juſtitiam Chriſti amplectuntur. Et tamen in Juſtificatione qvoqve ſive peccatorum remiſſione (qvæ reſpectu noſtri opus Gratiæ ſeu Miſericordiæ divinæ eſt) manet Deus *juſtus*, juſte ſc *puniens* peccata noſtra in Chriſto, qvi ea in ſe receperat, & juſte *juſtificans* credentes, imputata ſcil. ipſis, per Gratiam ſuam, Chriſti juſtitia.

VII. *SUBJECTUM* juſtificationis eſt homo peccator ſed

talis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

talis, qvi eſt *ἐκ πίστεως Ἰησοῦ v.26.* qvi ſcilicet peccata ſua ex Lege agnoſcit, de illis ſerio dolet & promiſſiones de gratia & remiſſione peccatorum gratuita ſibi per fidem applicat. Subjectum qvidem commune recipiens juſtificationem eſt totus homo, cum non tantum anima, ſed & ſenſus & motus in membris hominis peccato infecti fuerint *Rom.VIII, 23. Tit.I, 15.* Proprium verò eſt anima hominis, utpote in qva reſidet fides ſeu fiducia de remiſſione peccatorum. Hinc B. Hülſemannus *Op.poſth. pag. 56.* accurate monet: Subjectum recipiens & inſtrumentum recipiens juſtificationis differre ut latius & anguſtius. Hoc ſubjectum ſaltim ordine naturæ prius inſtructum eſſe debet fide juſtificante, qvam ipſa abſolutio ſeu juſtificatio ſeqvatur, etſi tempore ſimul ſint.

SECTIO III.

PORISMATICA.

PORISMA I.

Gratiæ vocabulum in articulo juſtificationis nunqvam qvalitatem à Deo infuſam, ſed ſemper gratuitum Dei favorem, amorem ac miſericordiam denotat.

§. 1.

Pontificiorum hac in parte ſententiam jam ſupra *§. XI.* attigimus, qvibus addimus teſtimonium *Concil. Trident. Seſſ.VI. Can.IX.* qvod anathema dicit illis, qvi ſtatuunt gratiam qva juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei. Catecheſis Romana *Cap.* de Baptiſmo *pag.320.* ita habet: *Gratia eſt divina qvalitas in anima hærens ac veluti ſplen-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

dor qvidam & lux animarum noſtrarum maculas omnes delet ipſasqve animas pulchriores & ſplendidiores reddit. Colonienſes in Cenſura *pag.26.* diſputant: *Gratiam Dei in Chriſto, qva juſtificamur & ſalvamur, hoc eſſe qvod Deus ſervantibus legem promiſerit ſe daturum vitam æternam.* Noſtram ſententiam ex præſenti textu firmiſſime ita probamus: Qvæcunqve Gratia (1.) per vocabulum gratis explicatur *v.24.* (2.) vocatur Gratia per redemptionem in Chriſto Jeſu *ibid.* (3.) opponitur omnibus operibus, *v.4. conf. Rom.XI,6.* (4.) adjunctam habet fidem *v.25.* itidem operibus oppoſitam *Rom IV,5.* & (5.) peccata remittit ibid., illa non infuſum charitatis habitum, ſed nudum eumqve miſericordem Dei favorem ſignificat. Atqvi Gratia juſtifica ita ſeſe habet, Ergo. Major in dubium vocari neqvit. Minorem qvoad omnia membra vel luſcus ex textu noſtro probare poterit, cum κτ̃ τὸ ῥητὸν qvinqve iſta membra ibi contineantur. Non urgebo jam ipſam vocem χάρις ejusqve conjugata χαρίζομαι & χαριτόω qvæ infuſam qvalitatem non involvunt, confer. *Luc.VII, 24. 2.Cor. II,9. XII, 13. Coll.II, 13. III, 23. Eph.I,6.* qvem ultimum qvidem locum Stapletonus *in Antid. Rom.III, pag.97.* exponit: *multis gratiarum donis replevit*, qvod tamen verbis antecedentibus non congruit, in qvibus *electi* dicimur *in Chriſto ante conſtitutionem mundi.* Plura noſtratium Argumenta qvi deſiderat, adeat Theologos noſtros B. Chemnitium *in Exam. Concil. Trid. & part. II. LL. Theol. pag. 291.* Hunnium *Loc. de Juſtific.* Hutterum *in A.C. in Form. Concord. & in Loc.* Gerhardum *Tom.III. LL, de Juſt. pag.684. & Conf. Cath. Part. II. Libr.II. pag. 420.* Brochmandum *Syſt. Tom.I. pag.566. Tom. II. Art.VI. pag.495.* Meiſnerum *Antrop. Decad. II. pag. 8.* aliosqve. Qvem ſignificatum etiam Apologia A. C. *pag. 62. 133. 140.* determinavit.

§. 2. Objicit verò ex loco præſenti Bellarminus *Lib. II. de Juſtif. Cap. III.* (1.) Vitium ταυτολογίας, qvod ſic committeret Apoſtolus, cum cauſa efficiens (favor Dei gratuitus) ſatis per δωρεὰν explicetur. *Favorem Dei,* inqvit, *ſatis explicat per vocem gratis, qvi enim gratis juſtificat certe ex benevolentia & liberalitate juſtificat. Illa igitur additio PER GRATIAM non ipſum favorem ſed aliqvid aliud i. e. effectum illius favoris ſignificabit, ſcilicet juſtitiam*

tiam ab illo donatam & infuſam, qvæ eſt formalis cauſa juſtificationis. Verum Reſpondeo. (1.) adverbium δωρεὰν nullam conjugationem aut paronymiam cum ſeqventi nomine Græco χάρις habet. (2.) Synonymas eſſe voces ipſi fatemur, & exinde noſtram ſententiam firmiſſime concludimus: qvia enim Gratia illa conſiſtit in remiſſione peccatorum, & non tantum merito, ſed etiam habitui pietatis Abrahamiticæ *Rom. IV, 4. ſeqq.* opponitur, non gratiam qvandam infuſam ſignificabit, qvæ nil aliud eſt qvam opus legis internum ſeu bonus modus voluntatis & appetituum. Qvando autem Apoſtolus *v. 20.* negat, qvemqvam ex legis operibus juſtificari, hoc ipſo negat qvemqvam ex bonis motibus infuſis juſtificari, & juſtificari per gratiam contrarie opponitur τῷ juſtificari per opera, ergo nunqvam Gratia contrarium ſuum conſignificabit, ſed neceſſario opponenda eſt tanqvam ἐπεξήγησις præcedenti adverbio *gratis*, ut eò evidentius intelligatur. (3.) Diverſus harum vocum reſpectus ταυτολογίαν omnino tollit, cum Spiritus Sanctus duas voces propterea conjunxerit, ut & falſam removeret, & veram poneret cauſam. Vocabulum enim δωρεὰν non cauſam efficientem ſed ejus modum indicat, qvod gratioſus ille favor gratuito etiam nobis contingat, ſeu ut B. Gerhard. loqvitur, *in Conf. Cath. l. c. pag. 427. Particula δωρεὰν non tàm cauſam efficientem veram exprimit, qvam rejicit falſam, ſcilicet merita illorum qvi juſtificantur.* Non poſſum non adducere elegantiſſima verba B. Chemnitii qvibus noſtrum textum declarat *Part. II. LL. pag. 293. de Joſepho* inqviens, *textus Gen XXXIX. v. 4. dicit, invenit Gratiam in oculis Domini. Additur autem qvia erat vir fortunatus, h. e propter egregias virtutes qvas Potiphar animadvertebat in Joſepho, diligebat & magnifaciebat eum. Ne qvis igitur opinetur eodem modo & nos gratia Dei juſtificari & ſalvari, addit Paulus particulam Gratis, ut oſtendat, Deum in Articulo juſtificationis non reſpicere ad dignitatem, meritum, cauſam, formam, ſeu qvocnuqve vocabulo appelletur aliqvid in nobis inhærens, ut propterea nos in gratiam recipiat: ſed qvando invenit in nobis cauſam, cur poſſet damnare, mera gratuita bonitate nos acceptat ad vitam æternam.* Hinc etiam Syrus vocem *gratis* haud male τῇ χάριτι poſtpoſuit: *juſtificantur per gratiam gratis.* (4.) Non infreqvens in

ſacris literis eſt, falſam removere cauſam & veram ponere, ut ex hac oppoſitione res manifeſtior fiat, v. g. *Rom. III, 27. Pſ. C. 3. Eph. II, 7. 8. Joh. I, 20.* (5.) Ipſi qvidem Papiſtæ Interpretes Toletus, Eſtius, & Juſtinianus fateri hoc coguntur. Et Cornelius a Lap. ipſe ſuper hæc verba ita ſcribit: *Cum dixiſſet Apoſtolus,* juſtificati Gratis, explicans ſubdit, *per gratiam ipſius.* (6.) Papiſtarum potius explicatio Spiritum Sanctum ταυτολογίας accuſat, ſi Gratiæ vocabulum infuſas qvalitates denotat. Ipſi enim per Juſtificari intelligunt qvalitatum infuſionem: vel, ut Gregorius de Valent definit, eductionem juſtitiæ e potentia paſſiva animi, active juſtos dicunt per infuſum habitum, paſſive verò juſtos per infuſionem habitus. Cum igitur paſſiva hic ſit ſignificatio: *juſtificamur gratis*, ſeqvitur, juſtificari nil aliud eſſe, qvàm qvalitates infundi. Si vero per gratiam itidem qvalitates infuſas intelligunt, abſurda & tavtologica hæc emergit locutio: *per infuſas qvalitates infunduntur infuſæ qvalitates.*

§. 3. Objicit (II.) Bellarminus l. c. præpoſitionem *per* non recte accommodari *favori & benevolentiæ*, ut cauſæ efficienti, ſed *cauſæ formali aut meritoriæ aut inſtrumentali.* Non enim recte diceremus: *Deus per ſuum favorem aut per ſuam benevolentiam nos juſtificat;* recte autem dicimus: *Deus per gratiam inhærentem, per meritum Filii, per fidem & Sacramenta nos juſtificat.* Sed Reſpondeo (1.) Particulam *per* in Græco textu non haberi, ſed ſimpliciter Dativum poni, δωρεὰν docet. Syrus reddidit per בְּטַיבוּתוֹ *in Gratia* vel *ex Gratia.* (2.) Falſum & illud eſt, præpoſitionem per, vel διὰ non efficientem cauſam in Scripturis denotare. Nam Proverb. *VIII, 15.* dicitur: *per me Reges regnant. Joh. I, 3. omnia per Chriſtum facta ſunt.* confer *Rom. XI, 36. Sic Chriſtus excitatus eſt per gloriam Patris Rom. VI, 4.* δι' αὐτοῦ *per ipſum vocati ſumus, 1. Cor. I, 9.* In qvibus locis omnibus cauſam efficientem principalem innui res ipſa docet. Sic *Tit. III, 5.* κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον *ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit Deus*, ubi tamen miſericordia nunqvam infuſum habitum notabit. Confer. de vocula *per* Meisnerum *Philoſoph. Sobr. part. II. Lect. I. Cap. IV. pag. 668.*

§. 4. Objicit III. *Gratiam hanc non eſſe inanem, ſed omnino*

præſtare

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

præſtare & efficere id bonum qvod alicui vult. Ergo *Deus juſtificans non ſolum bene vult, ſed etiam juſtos & ſanctos facit.* Reſpondeo (1.) Gratias agimus Bellarmino qvod ipſe Gratiæ Dei veriſſimam tribuat juſtificationem qvæ juxta nos fit per imputatam Chriſti juſtitiam, qvæ imputatio vera & efficax, non putativa & imaginaria eſt, uti alias calumniatur Bellarminus. (2.) Concedimus dona qvædam ſanctificantia a Gratia & Spiritu Sancto nos renovante provenire, qvæ vero articulo juſtificationis ſi includis, maximè aberras.

PORISMA II.

Sola fides, ratione objecti juſtifici, nullo vero modo meritum bonorum operum, vel ante gratiam vel in gratia homines juſtificat.

§. 1.

HAnc theſin firmiſſimo nexu ex dicto hoc Paulino confirmare poſſumus ſic argumentando: Qværcunqve juſtificatio (α) fit gratis, (β) ex gratia divina, (γ) per fidem absqve operibus, (δ) propter redemptionem Chriſti & (ε) in remiſſione peccatorum conſiſtit, illa ſola fide, minime verò merito bonorum operum nobis obtingit. Atqvi Juſtificatio noſtra fit gratis, ex gratia, per fidem absq; operibus, propter redemptionem mediatoris, Ergò. Minoris membra cum verbotenus textus noſter exhibeat, ulteriori probatione non opus eſſe cenſemus. Ad Majoris vero probationem ac illuſtrationem ſeqventia adjicimus: (α) Jam ſupra *Sect. Exeg. §. VII.* monuimus particulam gratis eſſe excluſivam, & opponi non ſolum merito de congruo, ſed & de condigno, & ſic excludere omnia merita, omniaq; hominum opera. *Gratis* enim duo notat. (1.) in nobis nullum eſſe meritum nullamq; dignita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

tem qvæ ſit cauſa juſtificationis meritoria. (2.) Propter peccata actualia nos eſſe dignos ira Dei & æterna damnatione, & tamen ex gratia propter meritum Chriſti nos recipi & juſtificari, qvod Auguſtinus breviſſimis verbis innuit, *Serm. XV. de verbis Apoſt.* dicens: *Si gratia eſt ex merito, emiſti, non gratis accepiſti* (β) opus & gratia irreconciliabili oppoſitione ſibi contrariantur: qvicqvid contingit ex gratia, illud nulla ratione per aliqvod opus contingere poteſt. Id qvod probat Apoſtolus *Rom. XI, 6. ſi per gratiam, jam non ex operibus, aliàs gratia non eſſet gratia, ſi ex operibus jam non ex gratia, alias opus non eſſet opus, Eph. II, 8. 9. Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne qvis glorietur.* (γ) Fides etiam & opera ſibi immediate opponuntur: *non operanti ſed credenti fides imputatur ad juſtitiam Rom. IV, 5.* Hinc Ambroſius in hunc locum qvinqvies expreſſiſſimis verbis ait: *Abraham non ex operibus Legis ſed ſola fide juſtificatus eſt, Tom. V. oper. fol. 189. Ex operibus non juſtificabitur omnis* (ideſt nulla: vid. Hackſp. *Syllog. fol. 37.*) *Caro in conſpectu Dei, ſed juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti Rom. III, 20. 22. Conf. Gall. III, 2. 5. 11. V, 4 5.* Qvando unum immediate oppoſitorum ponitur, alterum excluditur. Atqvi in juſtificatione fides (operibus immediate oppoſita) ponitur. Ergo opera excluduntur. (δ) ſi redemtio Chriſti, qvæ in ſe perfectiſſima, aliud adhuc meritum hominum reqvirere dicitur, hoc ipſo imperfectionis arguitur. Qvicqvid enim non ſolum meretur juſtificationem & ſalutem, ſed ab alia cauſa adjuvari debet, illud nulla ratione perfectum vocari meretur meritum. Imo Bellarminus Operibus noſtris infinitatem qvandam tribuit *Libr. IV. de Pœnitentia* & homines per merita ſua abundantius ſatisfacere aſſeruit Jeſuita de Valentia *Opuſc. de ſatisfact Cap. III.* Conf Hülſemannum *Manual. Diſp. XVIII. pag 946. ſeqq.* (ε) Ubi remiſſione opus eſt ibi omnis meriti ratio ceſſat. Ubi enim peccatorum remiſſio eſt, ibi neceſſe eſt eſſe peccata: ubi verò ſunt peccata ibi meritum damnationis & mortis eſt, non autem juſtitiæ & vitæ æternæ. Atqvi juſtificatio noſtra conſiſtit in remiſſione peccatorum, affirmante Apoſtolo *Rom. IV, 6.*

§. 2. Papiſtæ qvidem varia excipiunt contra has rationes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

ex textu clariſſimè deductas. Nam (1.) Bellarminus dicit: *Particulam gratis opponi tantum debito ex juſtitia ſive meritis de condigno qvæ ſimpliciter ſint merita: & ſic non excludi opera qvæ dicuntur concurrere ad juſtificationem, ut diſpoſitiones, vel merita de congruo.* Idem urget Cornel. a Lap. in h.l. Reſpondeo (α) Ipſi Papiſtæ tamen in Juſtificatione qvam vocant ſecunda meritum de condigno ſtabiliunt, cujus exiſtentia ex eorum confeſſione hic denegatur, & ſic Bellarminus ſibi ipſi contradicit. Si enim gratis opponitur merito de condigno, ſeqvitur non dari juſtificationem ſecundam, qvam tamen prolixe defendere vult, *Libr. IV. de Juſt. Cap. XVIII.* (β) Apoſtolus nullam aliam novit aut deſcribit juſtificationem qvam qvæ fit gratis. Jam Papiſtarum non pauci concedunt ſola fide nos juſtificari, qvorum catalogum legas apud Gerhardum *Conf. Cath. Libr. II. part. III. pag. 557.* & Voetium *part. II. ſelectar. fol. 726. ad 735. diſp.* cujus titulus eſt: *Vis veritatis in ipſo Papatu erumpentis pro aſſertione Papalis Chriſtianiſmi, de ſalute per ſolam Dei miſericordiam in Chriſto.* Confingunt vero geminam juſtificationem primam qvæ ſoli fidei, & ſecundam qvæ etiam operibus tribuitur: qvia tamen Scriptura hanc duplicem juſtificationem ignorat, hinc ita argumentamur: Unica datur juſtificatio nempe prima: Hæc vero teſtibus Papiſtis fit ſola fide. Ergo non juſtificamur coram Deo niſi ſola fide. (γ) Ipſi Papiſtæ nondum conveniunt in diſcrimine gemini hujus meriti, vid. B. Gerhardum *Tom. IV. LL. pag. 189. Conf. Cath. Libr. II part. III. pag 560.* Carpzovium *Iſag. pag. 279.* (δ) Ipſe Dominicus à Soto *Libr. II. de Nat. & Grat. Cap. XIV.* negat diſpoſitiones illas prævias vocari merita, & juſtificari hominem gratis ſtatuit eſſe juſtificari ſine ullo merito ſive de condigno ſive de congruo, ſive ex præcedente auxilio Dei ſpeciali, ſive ex viribus ſolis naturæ. Qvam aſſertionem firmiſſimis rationibus comprobat, qvas licet Bellarminus evertere conetur, frigida tamen ejus manet reſponſio, qvam videre licet una cum conſenſu Papiſtarum apud Gerhardum *Tom. III LL. pag 944. ſeqq.* (ε) Apoſtolus meritum juſtificationis h. l. nuſpiam in nobis ſed in ſolo Chriſti merito conſtituit. Jam verò meritum de congruo ſunt opera nobis inhærentia. (ζ) Præviæ iſtæ diſpoſitiones a nobis qvidem non negantur, meriti tamen rationem

habere

habere firmius probandum erit, cum multis modis ſint imperfectæ; & licet dignitatem qvandam ipſis ex eo accedere Bellarminus aſſerat qvod ſint opera gratiæ & dona Spiritus Sancti, in hoc tamen dignitas meriti adhuc exſulat, & Scholaſtici repugnant dicentes, meritum congrui conſiſtere in operibus ſine gratia factis.

§. 3. Excipiunt (II.) *Gratia non pugnat cum gratia; bona opera procedunt ex gratia, Ergo non opponuntur gratiæ.* Reſpondeo (α) repugnat Apoſtolus *Rom. XI, 6.* & dictum Auguſtini: *Gratia non eſt gratia ullo modo, ſi non ſit gratia omni modo* (β) Affirmata gratia negatur meritum, qvo affirmato negatur gratia, & ſic eſt contradictio in adjecto, meritum ſtatuere qvod in gratia fundetur. (γ) Gratia juſtificans & dona per gratiam ſeu bona opera non ſimpliciter per ſe & eſſentiæ ſuæ reſpectu ſibi invicem ſunt oppoſita, cum potius hac ratione tanqvam cauſa & effectus, ſint conjunctiſſima, ſed opponuntur ratione unius ejusdemqve effectus, qvi in juſtificando conſiſtit. Hic enim effectus, ſi Gratiæ tribuitur, mox excluduntur opera: Rurſus, ſi eundem effectum operibus aſſignes, mox tollis Gratiam, vi oppoſitionis Apoſtolicæ. Unde & illud alterum ἐξ ἀνάγκης ſeqvitur, nullo pacto ſtare poſſe mixturam illam Papiſticam, qva opera cum Gratia in actu juſtificationis miſcent & componunt, fingentes nos juſtificari partim gratia Dei, partim noſtris viribus, partim fide, partim operibus charitatis. Ἀσύςατα enim hæc eſſe & ſeſe mutuo excludere, qvippe contradictoria, modo ex oppoſitione Apoſtolica didicimus. Unde etiam invicte inferimus: ſubalterna eſſe haut poſſe, qvæ contrarie inter ſe ſunt diſtincta. vide B. Hütterum *in explic. Form. Con. Art. III. pag 301.*

§. 4. Dicunt (III.) *Fides excludit h.l. tantum opera legis ceremonialis.* Hoc Johannes Paulus Windeck. *in diſp. de Juſtif. Friburgi habita* An. 1610. *Theſi XXXIII.* aliqvot argumentis probat. Sed Reſpondeo (α) A Sociis maxime Bellarmino hi ipſi refutantur (β) Apoſtolus in genere loqvitur nec addit reſtrictionem; Sic & *v. 27.* indefinite dicit: *Ubi eſt gloriatio? excluſa eſt. Per qvam legem? factorum? non, ſed per legem fidei.* Omnis hic operum gloriatio, cujuscunqve ea generis ſint, excluſa eſt per doctrinam evangelicam de fide. Ubi enim fides eſt, ibi locum habere neqveunt opera. (γ.) alibi diſerte teſtatur, ſe de ea lege

loqvi, *ex qva agnitio peccati Rom.III, 20. qvæ omnes homines peccati arguit Rom.III, 10. qvæ cordibus inſcripta hominum Rom. II, 15. qvæ iram operatur Rom.IV, 5.* qvæ tamen nec conveniunt legi ceremoniali, vel ad minimum non ſoli, cum etiam morali adſcribi poſſint (δ) *Rom.IV, 2.* Abraham dicitur juſtificatus ex fide & non ex operibus; cujus tamen tempore leges ceremoniales nondum erant latæ, ergo intelligit opera legis moralis (ε) *ubicunqve Apoſtolus gratiam legi opponit, non tantum ceremonias complectitur,* ſed & *moralia, & univerſa cujuscunqve generis officia ſeu Naturæ ſeu Scriptæ legis:* eſt Regula Salmeronis *Diſp.XXV. in Rom. III. Tom. XIII. op. fol. 364.*

§. 5. (IV.) Objicit Bellarminus *Libr.I. de Juſt. Cap.19. Fides excludit tantum opera, qvæ præcedunt eam & qvæ ſolius liberi arbitrii viribus fiunt: ſeu opera irregenitorum non verò regenitorum.* Reſp. (α) Pro nobis ſtat abſoluta & ſimplex aſſertio. (β) Apoſtolus Paulus erat renatus, qvi tamen, uti alibi *Gal.II, 16. 1.Cor.IV, 4.* ita etiam hic ſua & credentium opera excludit (γ) Apoſtolus hujus ſui aſſerti exemplum offert Abrahamum jam converſum & in pietatis curſu provectum *Rom.IV, 2 3 5.* inde Chryſoſtomus de exemplo Abrahami *Hom.VIII.* ad Rom. ſic ſcribit : *Fide ſalvari eum, qvi opera non habet, nihil fuerit inſolentiæ: cum verò qvi recte factis ornatus eſt, non ex ipſis, ſed ex fide juſtum fieri, hoc admirabile eſt & qvod potiſſimum fidei potentiam manifeſtat.* (δ) Omnis gloriatio excludi hic debet *Rom.III, 27. IV, 22.* ſi verò Renatorum opera non excluduntur, gloriationi adhuc locus erit. (ε) *Juſtitiam homo non operatur niſi juſtificatus. Credens autem in eum qvi juſtificat impium, à fide incipit* (operari juſtitiam) *ut bona opera, non præcedentia, qvod meruit, ſed conſeqventia, qvod accepit, oſtendant*, inqvit Auguſtinus laudatus ab Eſtio in *Rom.IV, 4. fol. 44.* Exceptiones Bellarmini contra datas reſponſiones ſolvit pluribus B. Gerhardus *Tom.III. LL. pag. 929. ſeqq.* De voce Sola qvam Lutherus hic adhibuit vid. Chemnitium *Tom. II. LL. pag. 304.* Carpzovium *Iſag. pag. 226* Hülſemannum *Diſp. XIX. pag. 1093.* Scherzerum *Syſt. Loc. XVII. de Juſtific. pag. 434.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

PORISMA III.

Forma Juſtificationis conſiſtit in remiſſione peccatorum & imputatione Juſtitiæ Chriſti.

§. 1.

FOrmæ terminus hic late ſumitur pro ratione ſcilicet formali, qvæ dat eſſe rei, cum forma proprie dicta tantum de ſubſtantiis reperiatur, qvalis juſtificatio non eſt. Uti verò forma omniū rerum una eſt ita in juſtificatione unica aſſumenda eſt forma, qvæ *ἄρσιν καὶ θέσιν* complectitur. Etſi enim qvidam noſtratium Theologorum v. g. B. Hülſemannus *Breviar. Cap. XI. Th. IIX.* geminam faciant formam *privativam & poſitivam*, nihil tamen aliud volunt, qvam unius formæ geminum eſſe actum, ceu accuratius loqvitur B. Scherzerus *Syſt. Loc. XVI. pag. 440.* Utrumqve actum Apoſtolus in præſenti dicto clariſſime deſcribit, nempe tum *remiſſionem peccatorum*, ſeu *non imputationem injuſtitiæ propriæ*, qvando expreſſam *remiſſionis peccatorum* mentionem facit *v. 25.* tum *imputationem juſtitiæ alienæ Chriſti.* Juſtificari enim dicimur *per redemtionem Chriſti v. 24.* qvæ objectum iſtius imputationis, qvatenus per fidem materia illa imputabilis nobis applicatur, & ſic nos juſti coram Deo reputamur. De priori actu agit etiam Apoſtolus *2. Cor. V, 19. Deus mundum ſibi reconciliat, non imputans illis peccata ſua.* Hinc *beatus* ille dicitur, *cui Deus non imputat peccatum Pſ. XXXII, 2.* Poſteriorem verò deſcribit *Rom. IV, 5. Fides imputatur ad Juſtitiam*, ubi fides objectiva ſeu qvæ creditur i. e. Chriſtus cum ſua Juſtitia intelligitur, cum Fides qva creditur, in ſe non noſtra vocanda ſit juſtitia, ſed ipſe Chriſtus *1. Cor. I, 30.* Imputatur verò ad Juſtitiam non ut juſtitia ſit qvæ non eſt, ſed ut, qvæ juſtitia alterius eſt, noſtra fiat.

§. 2. Probe verò illud notandum venit, hos duos juſtifica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

tionis actus, qvi formam (ſi non ſimplicem, tamen complexam) juſtificationis conſtituunt, etſi objectis, minimè tamen forma differre; & vel realiter unam rem ſignificare, vel à ſe invicem ſeparari non poſſe. Nam (1.) Apoſtolus ipſe terminos iſtos pro Synonymis habet, dum *Rom.IV,5.* probaturus juſtificationem fieri per imputationem juſtitiæ Chriſti, *v.6.7.8.* adducit dictum *Pſal. XXXII, 10.* in qvo remiſſionis peccatorum ſola fit mentio (2.) Sicuti inobedientia adverſus parentes per detrectationem paritionis & per commiſſionem illius, qvod interdicitur, realiter eadem inobedientiæ Species eſt, & reatus inde reſultans unus idemqve: ita abſolutio à reatu per imputationem non commiſſæ juſtitiæ propriæ, & per non imputationem injuſtitiæ propriæ realiter una eademqve abſolutio erit. (3.) Eo ipſo qvod Juſtitia Chriſti nobis imputatur, noſtra injuſtitia non imputatur, ſed tegitur. Hinc B. Lutherus verba *v.24.* emphatice tranſtulit. Damit er die Gerechtigkeit / die für ihm gilt / darbiete indem er Sünde vergiebt. (4.) Alii rem ita exprimunt: hæc duo unum juſtificandi actum diverſorum terminorum reſpectu diſtingvere; ſicuti, qvando homo veſte induitur, eodem actu nuditas tegitur & veſtimentum induitur, diſtinctæ tamen partes ſunt veſtituræ, tectio nuditatis & induitio veſtis, non re, ſed ratione, reſpectu ſcilicet terminorum à qvo & ad qvem. B. Meiſnerus *Phil. Sobr. part. II. pag.764.* rem alio declarat ſimili; *ſicuti unicus motus receſſu & acceſſu conſtat, ſic & juſtificatio inter duos terminos verſatur, alter à qvo, alter ad qvem: Terminus à qvo ſunt peccata qvæ remittuntur, ad qvem verò eſt juſtitia qvæ imputatur.* Sic B. Höpfnerus *Diſp.I. de Juſtif. pag.52. non differunt,* inqvit, *hæ phraſes, niſi tantum ratione, ut terminus à qvo & ad qvem, qvia cuicunqve remittuntur peccata, eidem imputatur Juſtitia,* Vide B. Gerhardum *Tom.III. LL. pag. 1033.* Hülſemannum *Op.poſt.pag 548.* Sic Affelmannus in additamentis diſp. de Hæreticis: *non ſunt duæ partes Juſtificationis noſtræ differentes realiter, remiſſio peccatorum & Juſtitiæ* Chriſti imputatio. vid. *Syntagm. Part.I.pag 643.*

§.3. Videtur autem differre imputatio juſtitiæ Chriſti à reputatione hominis pro juſto in conſpectu Dei tanqvam cauſa ab effectu, cum imputatio juſtitiæ Chriſti meritoriæ homini,

collata efficiat ut talis homo pro juſto habeatur , qvaſi nullum unqvam peccatum commiſiſſet. Qvanqvam enim hæc duo materialiter ſeſe invicem conſeqvantur, formaliter tamen differunt, ſatisfacere pro delictis commiſſis,& haberi apud Deum pro juſto.Conf. Hülſemannum *l. c. pag.54.* Qvod verò imputatio juſtitiæ Chriſti præponenda ſit non imputationi peccatorum & reputationi hominis pro juſto, probat itidem B. Hülſemannus *l. c. pag 547.* (1.) ex textu noſtro, ubi Apoſtolus imputationem ſatisfactionis Chriſti præfert remiſſioni ſeu non imputationi peccatorum; confer *Rom. IV,3. 8.* ſicuti *2. Cor.V,19.* meritoria reconciliatio mundi per Chriſtum præponitur non imputationi peccatorum. (2.) ex analogia fidei: applicatio enim alicujus meriti debet præcedere ante remiſſionem peccatorum, niſi velimus dicere, Deum remittere peccata ex plenitudine poteſtatis ſine intuitu meriti Chriſti, qvod Soccinianum. Nulla vero alia datur applicatio ullius meriti, ob qvam homini peccatum non imputetur, qvam imputatio meriti Chriſti : Ergo hoc ordine naturæ (licet tempore ſimul ſint) præcedit non imputationem peccatorum. Idem D. Jo. Muſæus *in Ded. ſect. fol. 587.* ex *Rom. IV, 6.* probat, in eo tamen abit, qvando addit: *in ſola remiſſione peccatorum non verò in juſtitiæ Chriſti imputatione formaliter conſiſtere juſtificationem.* Nam (1.) uti hæc duo maxime differunt: eſſe formam juſtificationis & formaliter denominare aliqvem juſtum, ita (licet in ſimplici, tamen in forma complexè tali) non ſeqvitur, qvicqvid eſt forma, illud ſtatim denominat juſtum, (2.) utrumqve actum formam juſtificationis recte ſtatuimus, ab uno tamen formaliter nos juſtos denominari ſimul aſſerimus. Sic forma ſanationis conſiſtit in depulſione morbi & inductione ſanitatis, depulſio tamen morbi neminem formaliter denominat ſanum, & Paulus dicit *1.Cor.IV, 4.* nullius mihi conſcius ſum, ſed in hoc non juſtificatus ſum. (3.) inverti melius poſſet, juſtificationem magis in imputatione juſtitiæ formaliter conſiſtere, ſi a denominatione qvis ad formam concludere poſſet, cum ſola Chriſti juſtitia me formaliter juſtum denominet, non verò remiſſio peccatorum, qvæ ſaltim me non injuſtum eſſe oſtendit. Sicut in dealbatione parietis, non privativum ſeu abolitio nigredinis, ſed poſitivum ſeu inductio albedinis parietem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

rietem denominat album; ita juſtitia Chriſti non remiſſio peccatorum hominem denominat juſtum.

§. 4. Papiſtæ formam juſtificationis unicam juſtitiam infuſam ſtatuunt. Sic enim Bellarminus *Libr. 2. de Juſtif. cap. 2* repetit verba Concilii Trid. *Seſſ. VII. Cap. 7. Unica formalis cauſa juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qva ipſe juſtus eſt, ſed qva nos juſtos facit, qva ſcilicet renovamur ſpiritu mentis noſtræ.* Cujus ſententiæ falſitas ex ſupra dictis jam pateſcit, & ferias nobis hic conceſſit B. Gerhardus, qvi fuſius hoc ipſum probat & contra exceptiones Bellarmini vindicat *Tom. III. LL. pag. 1035. ſeqq.* argumenta verò ejusdem accurato examini ſubjicit *pag. 1083. ſeqq.* Nec cauſa erit Pontificiis noſtram doctrinam, ob diverſas Theologorum de forma juſtificationis ſententias, traducendi, cum ipſi ejus rei accuſari juſtius poſſint. Id qvod oſtendit B. Gerhardus *l. c. pag 1073. ſeqq.* Meisnerus *Part. II. Philoſ. Sobr. pag. 766. ſeqq.*

PORISMA IV.

Chriſtus interventu paſſionis & mortis ſuæ pleniſſime ac veriſſimè Deo Patri pro nobis ſatisfecit.

§. 1.

QVam propoſitionem, firmiſſimo ſtabilimus ratiocinio: Qvicunqve nos redemit interveniente ſangvine ſuo, tanqvam pretio ſoluto, & a Deo poſitus fuit in propitiatorium in V. T. præfiguratum, ille vere & plene pro nobis ſatisfecit. Atqvi Chriſtus in præſenti noſtro textu dicitur nos redemiſſe per ſangvinem ſuum *v. 24.* a Deo poſitus fuiſſe propitiatorium in V. T. præfiguratum, *v. 25.* Ergo. De majoris veritate cum nemo ſanus dubitet, probationis loco ad minorem notamus ſeqventia, qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

expreſſiſſime (1.) dicamur juſtificari per redemtionem ſeu ἀπολύτρωσιν in Chriſto Jeſu, cujus vocis emphaſis, cum λύτρου mentionem faciat, jam ſupra §. *XII.* evoluta fuit. Hinc reſpectu iſtius pretii emti dicimur pretio magno *1. Cor. VI, 20.* & ſemper redemtioni per Chriſtum factæ vel *ſangvis* adjungitur *v.g. Coll. I, 24. Eph. I, 8. Ebr. IX, 12.* vel *mors* ejus *Ebr. IX, 12. Imò ſangvine ſuo nos redemiſſe* aſſeritur *1. Petr. I, 18. 19. 2. Petr. I, 1. Luc. I, 68. II, 38. Gal. III, 13. Tit. II, 14.* ut exinde ipſa redemtio noſtra audiat *1. Cor. I, 30. 1. Tim. II, 6.* (2.) Propitiatorium dicitur ex ea ratione, qvia Deum iratum ob peccata nobis propitium & placatum reddidit & propterea à propitiatorio V. T. præfiguratus fuit. Confer ſupra §. *XIV. XV.* Eum in finem alibi ἱλασμὸς vocatur pro totius mundi peccatis *1. Joh. II, 2. IV, 10.*

§. *2.* Sociniani, ſicuti infenſiſſimi ſatisfactionis Chriſti hoſtes ſunt, ita omnem movent lapidem, ut hæc fundamenta firmiſſima ſubruant. Excipiunt enim contra primum: (*A*) *Redemtionem nude Metaphoricam eſſe*, qvod probat Baro à Wolzogen, *Comm. ad Matth. XX, 28. Tom. I. Opp. fol. 249.* qvia *redimendi vox ſæpiſſimè metaphorice pro qvavis liberatione ſumatur v.g. Exod. XV, 13. Deut. VII, 8. ubi nihil aliud denotet qvam liberare aut ſibi aſſerere, ut vera veri pretii ſolutio non interveniat.* Reſp. (1.) nullibi in totâ Script. S. redimendi vox in ſenſu metaphorico ſumitur, ubi λύτρου, ſeu pretii (ſangvinis & mortis Chriſti) ſimul fit mentio. (2) exempla igitur allata cum nullum addatur pretium, ſunt ἀπροσδιόνυσα. (3) licet corporalis redemtio abſoluta & ſine pretio eſſe poſſit, de qva locis citatis, minimè tamen ſpiritualis à peccatis ob infinitam Dei juſtitiam. (4.) Hæc redemtio cum fuerit judicialis (aliter fit in extrajudiciali) & Deo irato mortemqve minanti facta, pretii expers non fuit, adeoqve proprie dicta redemtio. (5.) ipſe Socinus *p. 11. de Servat. Cap. II.* veræ propriæqve redemtionis qvatuor habet reqviſita, ut adſit (α) Captivus (β) Captivum detinens (γ) Redemtor (δ) λύτρον. Qvæ omnia cum noſtræ redemtioni adſint, ejus proprietatem & realitatem firmiſſime arguunt. conf. B. Wellerum *Comm. in h. l. pag. 211.* (*B*) Regerit Wolzogenius *l. c. In proprie dicta Redemtione pretium ſeu λύτρον ei datur, a qvo captivus redimitur; illi verò hîc ſunt Diabolus, peccatum, mundus & mors,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

mors, qvorum nulli Chriſtus λύτρον dedit. Reſpond. (α) Redemtio vitioſe ad ſolam captivitatem reſtringitur, cum etiam redimi à ſervitute, exilio, & morte poſſimus (β) adhæc in liberatione captivorum captivans non ſemper pretium accipit, cum ſæpius facto aliqvo eidem ſatisfieri poſſit, qvod non proprie accipi dicitur (γ) in Redemtione a pœna itidem acceptio non habet locum, qvia pœnæ non proprie accipiuntur, cum earum nemo proprie ſit creditor, pretium igitur redemtionis *pecuniarium* reqvirit accipientem, non verò *pœnale* (δ) Deus tanqvam judex univerſi ſangvinem Chriſti ceu pretium redemtionis accipit, cui ſoli, non verò Diabolo, pretium perſolvendum erat; Sicuti Lictori & carceri nemo aliqvid ſolvit. Ille enim ſolus proprie & principaliter captivum detinet, qvi ἀυτεξουσίως ultimũ ſupplicium infligere poteſt, ceu loqvitur B. Scherzerus *Colleg. Anti Soc. pag. 507. conf. pag. 599. ſeqq.* (C) Idem objicit: *à Stephano Moſen Act. VII. 36. vocari λυτρωτὴν ſeu Redemtorem, qvi tamen nullo pretio populum è manibus Pharaonis redemerit.* Reſpondeo (1.) à Moſe ad Chriſtum non valet conſeqventia. Ille tantum à Tyrannide Pharaonica temporali, hic verò ab ira Dei per proprium ſangvinem redemit. (2.) Moſes qvidem fuit typus Chriſti redemtoris, in tertio tamen ſimilitudinis tantum, non paritatis. confer Meiſnerum *Anthrop. Decad. III. pag. 242.* (D) *Ipſum Chriſtum dici redemtum à Deo, Pſal. XXXI. 6. qvi tamen nullo pretio redemtus eſt.* Reſpondeo; (1) ſi de Davide intelligis, qvod multi faciunt, propriè dicta erit redemtio, ſi verò de Meſſia, tunc à particulari colligis. (2.) a Redemtione nuda ad redemtionem per ſangvinem non valet conſeqventia.

§. 3. Contra alterum fundamentum regerunt: (I.) Uti *Propitiatorium vocatur illud operculum, non qvia DEum placavit, ſed qvia Deus in eo ſe propitium præbens reſponſa dedit: Similiter Chriſtus dicitur ἱλαστήριον non aliam ob cauſam, qvam qvia Deus in ipſo placatiſſimum ſe nobis oſtendit & per eum voluntatem ſuam revelat.* Socinus *Part. II. de ſervat. cap. XI.* Smalzius *in Exam. Error. XLVII. pag. 15.* Reſpondeo (α) Chriſtus dicitur *propitiatorium in ſangvine ſuo,* qvia effuſione ſangvinis peccata expiavit, & Deum propitium reddidit: falſa igitur minor excluſive ſumta. (β) Sicuti arca placavit typice, ita Chriſtus in ſe realiter & verè; plus

verò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

verò in antitypo qvam typo eſſe, ſæpiſſime in ſcriptura obſervatur (γ) arca vocata fuit ἱλαστήριον propter ſangvinis effuſionem à Chriſto factam, qvam typice præfiguravit, ergo Chriſtus revera expiavit. (δ) Sicut ſangvis ſacrificiorum vere (qvatenus verum opponitur falſo, non umbratili, vide B. Kromayerum *Theol. Pos-Pol. art. XIII. th. XIIX. f. 778.*) expiavit peccata propter Chriſtum, qvod malitioſe Sociniani negant, ita multo magis antitypus iſtud faciet. conf. B. Franzium *Schol. ſacrif. Diſp. VI. pag. 125. & XXI. pag. 730. ſeqq.* (II.) *Propitiatorium vocatur* כַּפֹּרֶת *à* כָּפַר *cujus propria ſignificatio eſt tegere tantum, & operire, oblinendo obturare; metaphorica, expiare. Ergo peccata expiantur tantum, qvia teguntur & abſconduntur à Deo ſive Dei gratia & benignitate.* Volckelius *Libr. III. de Verit. Relig. Cap. XXXIX. pag. 150.* Reſp. (α) Tectio cum ſatisfactione ſtare qvidem optime poteſt: nego tamen, qvod tantùm tegere ſignificet. vid. Dn. Calovium *Socinis. Proflig. fol. 536. ad 550.* In Piel enim verbum iſtud placandi ſeu expiandi ſignificationem habere inductio docebit. Ergo vitioſe è Kal infers ſignificationem ʒ Piel. vid. ſupra §. XV. (β) Vox כֹּפֶר ex Kal orta redemtionem vel pretium redemtionis denotat, confer Exod. XXI, 3. XXX. 12. Proverb. VI. 35. Amos. V, 12. Pſal. XLIX. 8. (III.) Socinus *Part. II. de ſervat. Cap. XI.* regerit: *hanc tamen propitiationem, non ſatisfactionem pro peccatis inferre, ſed tantum nudam peccatorum purgationem & gratuitam reatus oblationem.* Reſp. (α) Non dicimus, qvod expiatio & propitiatio formaliter ipſa ſit ſatisfactio, ſed qvod illa hujus ſit conſeqvens. (β) Propitiatio præſupposuit iratum Deum ob peccata, hæc vero ut purgarentur, prius placandus Deus fuit. (γ) Illa oblatio reatus non fuit ſimplex, ſed in Chriſti morte tanqvam intercedente λύτρῳ fundata. Unde *propitiatorium* hoc loco Chriſtus dicitur *in ſangvine ſuo. Et ſine ſangvinis effuſione nulla fit remiſſio,* Ebr. IX. 22. Rom. V. 9. Imo pacem cum Deo non haberemus, ſi מוּסָר caſtigationem ac pœnam pro nobis non ſuſtinuiſſet Eſa. LIII. 5, 6. 7, (δ) Propitiatio relationem habet non tam ad offenſas qvæ remittuntur, qvam ad offenſam perſonam, cujus ira placanda eſt: qvæ ſi placata erit, tum eo libentius condonabit peccata. Si verò qvis ultro remittit peccata, pro-

pitiatio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

pitiatio locum non inveniet. Propitiatio enim ſine præſuppoſita indignatione, interveniente placatione & ſatisfactione non eſt propitiatio. vid. plura apud B. Scherzerum *Colleg. Antiſoc. pag. 498. ſeqq.* Meiſnerum *Antrop. decad. III. pag. 260. ſeqq.*

PORISMA V.

Remiſſio peccatorum in V. T. qvoqve obtinuit: nec πάρεσις ab ἀφέσει diſtingvi debet, ſed pro Synonymo ejus habenda.

§. 1.

PApiſtæ & ex illis Scholaſtici Patres antediluvianos per legem naturæ, poſt diluvianos per legem Moſis, nos autem tempore N. T. per legem Chriſti juſtificari docent. Sic & Sociniani diverſas Juſtificandi rationes ſub V. & T. comminiſcuntur. Hinc Smalcius contra Frantz. *fol. 93. ſub lege nullus erat remiſſionis peccatorum, qvæ ſcilicet vere peccata ſunt, locus, ſed qvicunqve legem Moſis transgrediebatur ei absqve miſericordia ad teſtimonium duorum vel trium teſtium moriendum erat.* Sed falſitas hujus dogmatis ex noſtro textu apparet, ubi V.T. aſſignatur πάρεσις ejusdem cum ἀφέσει naturæ & ſignificationis. Probant noſtram ſententiam tam ſacrificia in remiſſionem peccatorum non tantum levium, qvod Smalcii figmentum eſt; ſed etiam grandium & morte plectendorum, tum promiſſiones hominibus V,T. factæ, nec non clariſſimæ aſſertiones, *Pſal. XXXII, 1. Ezech. XVIII, 21.* Vide Franzium *Schol. ſacrif. Diſp. XXI. pag. 685.* De eadem verò Juſtificandi modo ſub utroqve Teſtamento legas Brochmannum *Tom. II. LL. pag. 450.* Scherzerum *Coll. Antiſoc. pag. 663. & in Diſp. de Fide implicita Cap. II. pag. 93.* Kromayerum *Theol. Poſ. pag. 671.* Stegmannum *Photinian. Diſp. XXX. pag. 339.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

§. 2. Socinianis frigidam ſuffundit Johannes Coccejus mirus novitatum Artifex, qvi fingit juſtificationem ante Legem & ſub N.T. maxime differre. *In V. Teſtamento*, inqvit, *habuerunt fideles Juſtificationem & glorificationem inſtar prætermiſſionis, ideoqve ipſorum juſtificatio non tam fuit glorioſa & cum tanta liberalitate gratiæ, qvia cauſa ipſorum juſtificationis non fuit tam integra & in ſua plenitudine ac perfectione manifeſtata. Comment. ad Hebr. X, 18.* Et qvidem ex dicto noſtro Paulino nata eſt ipſi diſtinctio inter πάρεσιν & ἄφεσιν, illam Veteri hanc Novo T. attribuit: illâ ſtatuit Deum prætermiſiſſe aut non compellaſſe ob debita, qvibus ipſi obſtringebantur, fideles ſuos; hâc debitum ipſum remiſiſſe & Chirographum deleviſſe. *Res ipſa*, inqvit, *oſtendit, eos qvi fuerunt ante Chriſti manifeſtationem, non qvidem minus dilectos fuiſſe propter Sponſorem Teſtamenti, quàm diliguntur ii, qvi habent Sponſorem conſummatum, cui nihil agendum ac patiendum ſupereſt, neqve minus fuiſſe in gloriam introductos: attamen eam omnem juſtificationem & glorificationem habuiſſe inſtar* prætermiſſionis & diſſimulationis *ac* ſilentii &c. *Etiamſi igitur Deus ab ipſis non magis exigeret ſatisfactionem, qvam a nobis, tamen dicitur tantummodo* prætermiſiſſe *peccata h.e. non puniviſſe*, non *etiam* remiſiſſe. vid. Comment. ejus in h. l. §. 72. pag. 184. Hinc in tractatu de utilitate hujus diſtinctionis ita diſſerit: *Alius eſt actus Dei deſtitutus adhuc ad tempus reali oſtenſione juſtitiæ ipſius; & alius qvem exercet extante oſtenſione reali juſtitiæ ſuæ. Primo actu prætermittit peccata, ſecundo remittit ita, ut prætermiſſio, qvæ fit absqve oſtenſione juſtitiæ, vera remiſſio non ſit.*

§. 3. Ut verò hanc ſuam novitatem incruſtare poſſit, varia conqvirit. Objicit (1.) *Chriſtus in V.T. nondum ſatisfecerat, qvia nondum paſſus erat, Ergo complete remitti peccata non poterant ſed tantum transmitti.* Reſp. (α) Imo remitti poterant. *Confide Fili* (ἀφέωνταί σοι) *remiſſa tibi ſunt peccata*, dicit ad Paralyticum vivens adhuc in terris Servator ipſe *Matth. IX, 2.* Ἄφεσις ergo erat, tametſi actu ipſo nondum mortuus eſſet Chriſtus. *Omnes enim prophetæ remiſſionem peccatorum* (ἄφεσιν ἁμαρτιῶν pro fidelibus utriusqve Teſtam.) *prædicarunt per fidem in Chriſtum Act. X, 43. Conf. Pſ. XXXII, 1. 5.* cum *Rom. IV, 7.* (β) Non fuit paſſus Phyſicè

ſicè, qvia nondum incarnatus erat, tamen moraliter, qvia *agnus mactatus ab origine mundi, Apoc. XIV, 8.* (γ) Diſtingvendum inter actum & fructum ſatisfactionis Chriſti: actus qvidem ſatisfactionis non erat, qvi eſt tranſiens, tamen fructus ejus & meritum, qvod perpetuum. (δ) in Phyſicis qvidem effectus cauſa ſua prior eſſe neqvit, ſæpius tamen in moralibus. Sic captivus dimittitur, priusqvam adhuc λύτρον ſolvatur, modo certò caveatur. (II.) *Si πάρεσις idem qvod ἄφεσις, tunc poſſet Locus noſter Rom. III, 25. ubi legitur πάρεσις cum Eph. I, 7. Ebr. X, 18. ubi ponitur ἄφεσις, permutari, qvod tamen ſine abſurditate fieri non poteſt.* Reſp. (α) Falſo habentur pro oppoſitis, qvæ Synonyma ſunt ex mente Spiritus S. Inter ea qvæ Remiſſioni peccatorum æqvipollent, eſt etiam *præteritio* (vide Höpffnerum *Diſp. I. de Juſtif. f. 52.*) qvæ nihil aliud eſt qvam πάρεσις ſive prætermiſſio (β) formale ſignificationis in qvo æqvipollent, *eſt non imputatio & vindicatio peccati.* Sic enim Balduinus Comm. in Epiſt. ad *Rom. III, 25.* *Pœna remittitur, qvando culpa non imputatur, qvæ tolli & remitti h.e. infecta fieri proprie loqvendo non poteſt. Et hoc notatur voce παρέσεως, qvæ propriè relaxationem ſignificat, metaphora ſumta à vinculorum remiſſione. Peccata igitur relaxari dicuntur, qvando ea hominem non amplius gravant, licet adhuc adſint, qvoad materiale.* (III.) Urget ταυτολογίαν *ſic in textu Paulino fore qvia denuo inculcat* **v. 26.** *juſtificationem ejus qvi eſt ex fide Chriſti. Si ergo antea per πάρεσιν intellexiſſet ipſam ἄφεσιν, ſeu remiſſionem, adeoqve plenam juſtificationem, qvæ facta fuerit Patribus, eam nunc denuo inculcaſſet bis repetens*, ad demonſtrationem juſtitiæ *v. 28.* ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ. *v 26.* Reſp. (α) Emphatica repetitio non eſt tautologica nugatio (β) Oſtenſio juſtitiæ *v. 25.* memorata, uti actum formalem juſtificationis conſtituit, ita *v. 26.* finem ejus ſubinfert. (γ) non tam transmiſſio, qvam remiſſio peccatorum poſtulabat demonſtrationem juſtitiæ Dei per ſangvinis fuſionem, qvia remiſſio ſine hoc, ceu effectus ſine cauſa eſſe neqvit. (IV.) Adducit ſimile in Comm. ad h.l. §. 72. *poſſum debitorem παριέναι & prætermittere, ſive qvietum ſinere, qvem non compello, cui tamen debitum non remitto, ut etiam Chirographum reſtituam & ſcribam me ἀπέχειν, ſive accepto ei feram æs ſolutum, & declarem ipſum a me nunqvam*

compellatum iri. Sed Reſp. (α) ſolutio Chriſti ſolutioni debiti pecuniarii opponitur *1.Petr.I, 18. redemti eſtis non auro vel argento, ſed pretioſo ſangvine.* Ergo pretium pecuniarium cum pœnali confundere non licet (β) Detrahit hoc ſponſioni Chriſti *Pſ. XL, 9. 10. Hebr. X, 5. 7. (Ecce venio, in capite Libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam)* & juſtitiæ divinæ, ſi talem tibi formes in animo ſponſionem, ubi neceſſe eſt Creditorem jus ſuum retinere in reum, ſi forte fidejuſſio eventu fruſtretur. (γ) Retineamus vocem παριέναι, per qvam fideles V. T. non diſtingventur a nobis ; cum per πάρεσιν peccatum in illis non ſit punitum & per ἄφεσιν nobis non imputetur , neutri ſcilicet tanqvam peccatores judicati , ergo in non-punitione etiam reqviritur fundamentum, ſi modo juſtitia divina demonſtrari debet, qvod nullum aliud eſt qvam peccatorum remiſſio: ſublata enim culpa, tollitur pœna : *& pœna tunc remittitur propriè, qvando culpa non imputatur,* uti paulo ante loqvi audivimus Balduinum in Comm. ad. h. l. *fol. 65.* Plura de hac re vide apud Hulſium *Spec. Theol. Hypoth. part. I. pag. 47. ſeqq.* conf. Excell. Dn. D. Alberti *Diſp. Inauguralem de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo Cap. I. §. 51. pag. 39. Cap. II. §. 35. pag. 59. & peculiarem diſp. de hac diſtinctione Anno 1680. habitam,* ubi ex profeſſo hæc novitas Socinizans eſt refutata. Atqve hæc de præſenti materia ſufficiant.

תם ונשלם שבח לאל
בורא עולם

AD

AD
DISPUTATIONIS AUTOREM DOCTISSIMUM
PRÆSES
D. JOH. OLEARIUS.

STat totus pro labe hominum Servator, & unus
Captivos nullo vindicat ære reos.
Ara laborantis Crux eſt: cadit hoſtia mundo,
Et verum meriti victima nomen habet.
Hoc merito ſubnixa fides ſuper omne triumphat
Legis opus, cæloqve inſerit una pios.
Impetis hos, mala Secta, logos, venerandaqve cœli
Gratia ſub ſignis ſtat labefacta tuis.
Tu Fidei, KOLDINGE, ſuum decus aſſeris, hujus
Docto juſtificas protegis ore manus.
Vera loqvi forſan facile eſt, ſed ab hoſte tueri,
Intrepidi laudem Theiologi eſſe puto.

M*Ultæ fides,* ſed diſſonantes oppidò,
Minusq; gratæ Numini, ſunt aſſeclis
Romæ modernæ, vel Latini Ve-Jovis;
Bona opera nempe, nullibi exactè bona,
Et absqve nævo; at *una* nobis eſt *fides,*
Qvi cum Luthero ſacra ſeqvimur dogmata,
Una ajo, & iſta *ſola* ſe probans DEO,
Qvâ juſti & alto ſimus in poli foro.
Nam ſolo & uno Merito JESU nititur,
Piacularis factus eſt qvi victima
Mundi protervi pro piaclis omnibus.
Qvod dogma cùm, KOLDINGE, jam jam perſones
Doctè atq; rectè ad Codicis normã ſacri,
Tibi accinit Parnaſſus ad Pliſſam ſitus,
QvinDania omnis, conſonis applauſib9.
Et macte (ſic applaudo & ipſemet) ſono
Hoc orthodoxo! *Sola* namqve & *unica,*
Qvæ merita præter FILII nihil ſonat,
Fides in aure Numinis ſonat optimè,
Sed peſſimè *multæ fides,* qveîs adſtrepunt
Lupæ Latinæ labe pleni amaſii.

properab.
L. JOACHIMUS FELLERUS, P.P. & Acad. Bibliothecar.

A*Rx fidei MERITUM Chriſti, qvô reddimur uno*
JUSTI eſt, & princeps relligionis apex:
Pro qvo KOLDINGUS ſummo ſub Præſide pugnans
Fidus propugnat miles in arce fidem.
Proſternunt hoſtes junctim: cum Dæmone fuſo
Hinc Papa, hinc Socinus, Zwinglius inde cadit.
Oppoſitæqve ruunt moles: præſtantia noſtra,
Et meritum, pedibus ſubjicienda Dei

Ignis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

Ignis item purgans, indulgens gratia Papæ:
Qvæ, dum ſola valet, GRATIA DIA fugat.
Sic objecta DEO vaſtatur machina qvæqve,
Arx ut perſiſtat conſolidata poli.
Stant, qvæ noſtra ſtruunt, nec vis ea deſtruet ulla:
Qvæq; adverſa ruunt vis ea nulla ſtruet.

H. HIRNKLOW, Danus.

DOgmata de Merito Chriſti concinnus adumbras
KOLDINGI, qvo ſtat ſufficiente, Salus:
Juſtitiam monſtras veram, fictamqve refellis:
Ut ſit nulla homini gloria, tota DEO.
Hinc pius ipſe labor Cœloqve Soloqve probatur:
Tamq; Sacros fructus Patria læta videt.

REGUEL ERASMI, Danus.

SIc felix! poſthac ſtimulos dabit æmula virtus:
Sincerè tractas Religionis opus.
Qvid tumor? incaſſum meritorum præmia ſperas:
Gloria vana ſoli, Gloria vera poli.
Perge, ut cœpiſti, Jeſu ſis ſangvine juſtus
Injuſto, JESU, Jus es ubiqve Tibi.

JOH. FOSSIUS, Danus.

DUm per Legis opus Paulo ſit Judice nemo
Juſtus, Papicolis nemo beatus erit.
Hinc videant, qvi facta crepant; meritumqve capeſſunt,
Ne meritò pœnas, ſuppliciumqve luant.
Rectius hæc contra meritum KOLDINGIUS unum
Chriſti, gratificam Juſtitiamqve docet.
Aſſertô hoc Meritô, laudesqve decusqve meretur:
Qvod magis augeſcens tempus in omne precor.

FRIDERICUS BERING, Danus.

INclitæ mentis documenta præbet
Noſter hic KOLDING; ego pauca dicam:
Cuncta pertexit cerebrô Minervæ
Digna labore.

CANUTUS Schmidt/ Norvegus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-273 4° 1441